OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS ÆSTIVA

TYPIS SOCIETATIS S. JOANNIS EVANGELISTÆ

DESCLÉE & Soch

S. Sedis Apostolicæ et Sacror. Rituum Congregationis Typographi

ROMÆ. TORNACI. PARISIIS

Scanné avec CamScanner

KALENDARIUM PERPETUUM

PRO CLERO

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS ÆSTIVA

MAJI

17 S. Paschalis Baylon Conf., *duplex.*
18 S. Venantii Mart., *duplex.*
19 S. Petri Cælestini Papæ et Conf., *duplex.* Com. S. Pudentianæ Virg.
20 S. Bernardini Senensis Conf., *semiduplex.*
21
22
23
24
25 S. Gregorii VII Papæ et Conf., *duplex.* Com. S. Urbani I Papæ et Mart.
26 S. Philippi Nerii Conf., *duplex.* Com. S. Eleutherii Papæ et Mart.
27 S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct., *duplex.* Com. S. Joannis I Papæ et Mart.
28 * S. Germani Ep. Parisiensis et Conf., *duplex.* Com. S. Augustini Ep. et Conf., *(duplex).*
29 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., *semiduplex.*
30 * S. Joannæ Arcensis Virg., Patronæ minus principalis Galliæ, *duplex II classis.* Com. S. Felicis I Papæ et Martyris.
31 * B. M. V. omnium Gratiarum Mediatricis, *duplex majus.* Com. S. Angelæ Mericiæ Virg., *(duplex)*, et * Ss. Cantiani et Sociorum Mm., ac S. Petronillæ Virg.

JUNIUS

1 * S. Probatii Conf., *simplex.*
2 Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Ep. Mm., *simplex.*
3 * S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *duplex.*
4 S. Francisci Caracciolo Conf., *duplex.*
5 S. Bonifatii Ep. et Mart., *duplex.*

Scanné avec CamScanner

6 S. Norberti Ep. et Conf., *duplex.*
7 * B. Annæ a S. Bartholomæo Virg., *simplex.*
8
9 Ss. Primi et Feliciani Mm., *simplex.*
10 S. Margaritæ Reginæ, Vid., *semiduplex.*
11 S. Barnabæ Ap., *duplex majus.*
12 S. Joannis a S. Facundo Conf., *duplex.* Com. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.
13 S. Antonii de Padua Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
14 S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
15 Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm., *simplex.*
16
17
18 S. Ephræm Syri Diaconi, Conf. et Eccl. Doct., *duplex.* Com. Ss. Marci et Marcelliani Mm.
19 S. Julianæ de Falconeriis Virg., *duplex.* Com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.
20 S. Silverii Papæ et Mart., *simplex.*
21 S. Aloisii Gonzagæ Conf., *duplex.*
22 S. Paulini Ep. et Conf., *duplex.*
23 Vigilia.
24 NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *duplex I classis* cum Octava communi.
25 S. Gulielmi Abb., *duplex.* Com. Octavæ.
26 Ss. Joannis et Pauli Mm., *duplex.* Com. Octavæ.
27 De IV die infra Octavam, *semiduplex.*
28 S. Irenæi Ep. et Mart., *duplex.* Com. Octavæ et Vigiliæ.
29 SS. PETRI ET PAULI APP., *duplex I classis* cum Octava communi.
30 Commemoratio S. Pauli Ap., *duplex majus.* Com. S. Petri Ap. et Octavæ S. Joannis Baptistæ.

JULIUS

1 PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C., *duplex I classis.* Com. diei Octavæ S. Joannis Baptistæ.
2 VISITATIO B. MARIÆ VIRG., *duplex II classis.* Com. Ss. Processi et Martiniani Mm.
3 S. Leonis II Papæ et Conf., *semiduplex.* Com. Octavæ Ss. Petri et Pauli App.
4 De VI die infra Octavam, *semiduplex.*
5 S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf., *duplex.* Com. Octavæ.
6 Octava Ss. Petri et Pauli App., *duplex majus.*
7 Ss. Cyrilli et Methodii Epp. et Cc., *duplex.*
8 S. Elisabeth Reginæ, Vid., *semiduplex.*
9
10 Ss. Septem Fratrum Mm. et Ss. Rufinæ et Secundæ Vv. ac Mm., *semiduplex.*
11 * S. Theobaldi Abbatis, *duplex.* Com. S. Pii I Papæ et Martyris.

Scanné avec CamScanner

12 S. Joannis Gualberti Abb., *duplex*. Com. Ss. Naboris et Felicis Mm.
13 S. Anacleti Papæ et Mart., *semiduplex*.
14 S. Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex*.
15 S. Henrici Imperatoris Conf., *semiduplex*.
16 Commemoratio B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo, *duplex majus*.
17 * S. Arnulphi Ep. et Mart., *duplex*. Com. S. Alexii Conf., *(semiduplex)*.
18 S. Camilli de Lellis Conf., *duplex*. Com. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Mm.
19 * S. Vincentii a Paulo Conf., *duplex majus*.
20 S. Hieronymi Æmiliani Conf., *duplex*. Com. S. Margaritæ Virg. et Mart.
21 * S. Clari Mart., *duplex*. Com. S. Praxedis Virg.
22 * S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentis, *duplex majus*.
23 S. Apollinaris Ep. et Mart., *duplex*. Com. S. Liborii Ep. et Conf.
24 * Commemoratio omnium Ss. Episcoporum Patronorum et aliorum Sanctorum Diœcesis Versaliensis, *duplex majus*. Com. Vigiliæ ac S. Christinæ Virg. et Mart.
25 S JACOBI AP., *duplex II classis*. Com. S. Christophori Mart.
26 S. ANNÆ MATRIS B. M. V., *duplex II classis*.
27 S. Pantaleonis Mart., *simplex*.
28 Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii I Papæ et Conf., *semiduplex*.
29 S. Marthæ Virg., *semiduplex*. Com. Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.
30 Ss. Abdon et Sennen Mm., *simplex*.
31 S. Ignatii Conf., *duplex majus*.

AUGUSTUS

1 S. Petri ad Vincula, *duplex majus*. Com. S. Pauli Ap. ac Ss. Machabæorum Mm.
2 S. Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex*. Com. S. Stephani I Papæ et Mart.
3 Inventio S. Stephani Protomart., *semiduplex*.
4 S. Dominici Conf., *duplex majus*. Com. * S. Exuperii Ep. Baiocensis et Conf.
5 Dedicatio S. Mariæ ad Nives, *duplex majus*.
6 TRANSFIGURATIO D. N J. C., *duplex II classis*. Com. Ss. Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.
7 * S. Ionii Mart., *duplex*. Com. S. Cajetani Conf., *(duplex)* ac S. Donati Ep. et Conf.
8 Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm., *semiduplex*.
9 * S. Joannis Mariæ Vianney Conf., *duplex*. Com. Vigiliæ et S. Romani Mart.
10 S. LAURENTII MART., *duplex II classis* cum Octava simplici.
11 Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm., *simplex*.
12 S. Claræ Virg., *duplex*.

Scanné avec CamScanner

13 * S. Radegundis Reginæ, Vid., *duplex*. Com. Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.
14 Vigilia. Com. S. Eusebii Conf.
15 ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRG., *duplex I classis* cum Octava communi.
16 S. JOACHIM PATRIS B. M. V., Conf., *duplex II classis*. Com. * S. Rochi Conf.
17 S. Hyacinthi Conf., *duplex*. Com. Octavæ Assumptionis ac diei Octavæ S. Laurentii Mart.
18 De IV die infra Octavam Assumptionis, *semiduplex*. Com. S. Agapiti Mart.
19 * S. Joannis Eudes Conf., *duplex*. Com. Oct. Assumptionis.
20 S Bernardi Abb., Conf. et Eccl. Doct., *duplex*. Com. Octavæ.
21 S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid., *duplex*. Com. Octavæ.
22 IMMACULATI CORDIS B. MARIÆ VIRG., *duplex II classis*. Com. Ss. Timothei et Sociorum Mm.
23 S. Philippi Benitii Conf., *duplex*. Com. Vigiliæ
24 S. BARTHOLOMÆI AP., *duplex II classis*.
25 * S. LUDOVICI REGIS FRANCORUM Conf., Titularis Ecclesiæ Cathedralis et Patroni principalis Diœcesis, *duplex I classis* cum Octava communi.
26 * De II die infra Octavam S. Ludovici, *semiduplex*. Com. S. Zephyrini Papæ et Mart.
27 S. Josephi Calasanctii Conf., *duplex*. Com. * Octavæ S. Ludovici et * S. Justini Mart.
28 S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex*. Com. * Octavæ S. Ludovici et S. Hermetis Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, *duplex majus*. Com. * Octavæ S. Ludovici et S. Sabinæ Mart.
30 S. Rosæ Limanæ Virg., *duplex*. Com. * Octavæ S. Ludovici et Ss. Felicis et Adaucti Mm.
31 S. Raymundi Nonnati Conf., *duplex*. Com. * Octavæ S. Ludovici et * B. Isabellæ Virg.

SEPTEMBER

1 * Octava S. Ludovici Regis, *duplex majus*. Com. S. Ægidii Abb. ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.
2 * Bb. Joannis Mariæ du Lau, Francisci Josephi de la Rochefoucauld, et Petri Ludovici de la Rochefoucauld, Pontificum, ac Sociorum, Mm., *duplex majus*. Com. S. Stephani Hungariæ Regis, Conf., *(semiduplex)*.

Scanné avec CamScanner

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS ÆSTIVA

FESTA MAJI

Die 28 Maji

S. Germani

Parisiensis Episcopi et Confessoris

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. Per (Dóminum.)

Scanné avec CamScanner

Deinde Commem. S. Augustini Episcopi et Conf. :

Ant. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Quando vero Festum S. Augustini Commemorationem in secundis Vesperis non habet, sequens Antiphona dicitur :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio Deus, qui Anglórum, ut infra ad Laudes.

Quando dies 27 incidit in Dom., vel infra Oct. Ssmi Corporis Christi, Commemoratio S. Augustini fit ante Commemorationem S. Bedæ. Pro S. Augustino, dicitur ℣. Justum dedúxit..., et pro S. Beda :

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

In II Nocturno

Lectio iv

GErmánus, apud Æduos honéstis paréntibus natus, a beáto Scopilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad matutínas preces ecclésiam, mille passus distántem, quacúmque áëris tempérie adíbat. Présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, ex mónacho per Nectárium Agrippíni successórem factus est Abbas monastérii sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio, Parisiórum Epíscopo, mórtuo suffféctus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et, dum iter ágeret, divínum offícium nudo cápite, étiam inter equitándum, persólveret. Clerum, pópulum et infántes ipsos, Fortunáto teste, divínas laudes psállere pie instítuit. Mira ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque redimméndos beneficéntia fuit; quod ei Childebértum regem ita conciliávit, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingéntem pecúniam subministráret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Ni-

Scanné avec CamScanner

hil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

CUM autem Childebértus in gravem morbum apud Cellas, in pago Melodunénsi, incidísset, réddita sibi a Germáno, per impositiónem mánuum, sanitáte, villam ipsam donávit matri ecclésiæ Parisiénsi, quæ jam tunc in honórem sanctæ Maríæ dedicáta erat. Accersítus a Clotário, qui, quod eum contempsísset, a Deo percússus erat, illum admótis vestiméntis suis sanávit. Charibértum reprehéndit, qui uxóris sorórem dúxerat, eíque sacris interdíxit. Sigebértum, imploráta étiam per lítteras Brunichíldis uxóris ópera, deterrére conátus est a cæde Chilperíci fratris, suísque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit.

℣. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

PRoféctus ad Sýnodum Bituricénsem, in qua Felix est ordinátus, Judæum quemdam lucrátus est, ejúsque cónjugem a dæmónio obséssam liberávit, quæ mox una cum multis áliis judáeis christiánam fidem proféssa est. Augustodúni in ordinatióne Syágrii, Florentíno, qui póstea Matisconénsis epíscopus fuit, óculi usum restítuit. Parísiis cum ad Basílicam Sanctórum Gervásii et Protásii orándi causa accéderet, solo crucis signo occlúsas fores apéruit. Saváræ puéllam Magnofléde nóminatam a dæmone oppréssam sanávit et in númerum vírginum, velo impósito, admísit. Spedonéto villa, cujúsdam hóminis distórtas maxíllas redúxit; Vico-Novo hóminem lupi rábidi morsu necátum óleo benedícto ad vitam revocávit et, teste eódem Fortunáto, vétulæ cæcæ óculis benedíxit, a quibus sanguis íllico fluxit et in suo cubículo, adhíbita aqua tépida, lotos restítuit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto atque in Turonénsi secúndo. Aliquot ante tránsitum suum diébus, próprio léctulo per notárium ínscribi vóluit verba : Quinto Kaléndas Júnias. Qua die cum obiísset, tunc apértus est verbórum sensus, qui háctenus latúerat. Corpus ejus

Scanné avec CamScanner

sepúltum est Parísiis ad sanctum Vincéntium, in oratório sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 1-15

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 138

UDívimus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit : quóniam non est ei cura de óvibus; mercenárius est enim. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti epíscopi Mártyres? Nonne omnes pastóres boni; non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam?

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viii

DOminus unitátem commméndans pastóribus bonis, nóluit multos appellári pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli cæteri, et posterióres sancti Epíscopi. Omnes hi pastóres boni;

Scanné avec CamScanner

et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, Pastor bonus. Interrogémus Dóminum quaelicúmque sensu, et humíllima disceptatióne cum tanto patrefamílias colloquámur. Quid dicis, Dómine, bone pastor? Tu enim bonus pastor qui bonus agnus; idem pastor et páscua, idem agnus et leo. Quid dicis? Audiámus, et ádjuva ut intelligámus. Ego sum, inquit, pastor bonus.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro S. Augustino Episcopo et Confessore, Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum

Et fit Commem. S. Augustini :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Commem. sequentis :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

DEus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da; ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Augustini :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Die 30 Maji

S. Joannæ de Arc

Patronæ minus Principalis Galliæ
Virginis
Duplex II classis

Omnia de Communi Virginum, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Psalmi ut in Communi Festorum B. M. V.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce * levávit ad gentem manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Domini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Scanné avec CamScanner

Capitulum Sap. 8, 9-10

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

STat cultrix vígilans
páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.

Dum voces súperas éxcipit, éxpavet;
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.

Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem jussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.

Qui terras státuit, glória sit Patri :
Qui gentes rédimit, glória Fílio :
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Magnif. Ant. Hæc est Joánna, * virgo Aurelianénsis : hæc est, quæ multum orat pro pópulo, et pro univérsa Gallórum gente.

Oratio

DEus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Nulla Commemoratio.
Complet. de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus Dómino.

Hymnus

AUreliáni túrribus
Frustra premúntur hóstium :

Scanné avec CamScanner

Intrat Joánna : mílites
Hymnos precésque cóncinunt.

Quam vellet hosti párcere!
Hunc voce amíca prǽmonet,
Sponte ut recédens, líberum
Regnum relínquat Gálliæ.

Negat, sed agmen Gállicum
Ruit : Joánna sánguinem
Profúndit, icta vúlnere,
Deúsque dat victóriam.

Urbes et agros óccupat;
Rursus nitéscunt Lília;
Turmæ fugántur hóstium;
Rhemos patéscit sémita.

Hæc conclusio nunquam mutatur.

O sancta et una Trínitas,
Firmans movénsque péctora,
Contra malum certántibus
Dona vigórem et prǽmium. Amen.

In I Nocturno

Ant. Eleváta est * magnificéntia Joánnæ super cælos.

Ant. Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.

Ant. Accépit * benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-17

Confitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum, Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. — Et unxit me unctióne.

Scanné avec CamScanner

Lectio ii

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. — Fuíque tecum.

Lectio iii

EXaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. — Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. Propter veritátem * et mansuetúdinem et justítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Ant. Arcum cónteret, * et confrínget arma, et scuta combúret igni.

Ant. Justítia * et misericórdia plena est déxtera tua.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

Lectio iv

Oánna de Arc, in óppido Domremén-si, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus orta est anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia,

Scanné avec CamScanner

opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchael Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt quómodo rem jussam perágeret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. — Ut non.

Lectio v

SUpérnis mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, postália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo quæ fíeri necésse esset suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. — Et facta est.

Lectio vi

CApta Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rothómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna com-

Scanné avec CamScanner

bustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit, die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Romána Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sæpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sæculo undevicésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis Puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc Summus Póntifex Pius Décimus in beatárum, Benedíctus vero Décimus quintus in sanctárum Vírginum número rétulit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus :* Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. — Si. Glória Patri. Si.

In III Nocturno

Ant. Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Ant. Annuntiavérunt cæli * justítiam ejus, et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ant. Judicávit in justítia * et pópulos in æquitáte.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Cap. 16, 17

BEátum damnum et jactúra felix! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis

Scanné avec CamScanner

dominátu ópibus sæculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus. * Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. — Fac, Dómine.

Lectio viii

QUÆ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? Cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis, ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum famáque títulos, aut véteres delegátæ nobilitátis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus : et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: *Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. — Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Pro S. Felice I Papa et Martyre, Lectio ix, ut in Breviario.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens :

Lectio ix

GRave onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut cum sensum vitæ hómines ex vivéndi affectu habére cœpíssent, fructum ejus, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent : cum sensus hujus exórdium ex afféctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut contra vim sensúmque judícii optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ ætérnitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait : Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

Scanné avec CamScanner

AD LAUDES

et per Horas. Aña

1 Ecce Joánna, * virgo simplex et píssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Psalmi de Dominica.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce * levávit ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capitulum Sap. 8, 9-10

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres, júvenis.

Hymnus

HOstium victrix, properánte cursu,
Cárolum ad sanctam comitáris ædem,
Ut triumphántem sacra rite signet
Unctio regem.

Gáudio fundens lácrimas, Joánna,
Príncipi plaudis : Dómino repéndis
Débitas grates, retinésque dextra
Nóbile signum.

Erigens longa pópulum ruína,
Mira fecísti, generósa virgo :
Jure te nostræ pátriæ paréntem
Sæcla vocábunt!

Sed manet major meliórque merces :
Te novus poscit labor et triúmphus :
Te Deus mittens dabit ipse vires
Atque corónam.

Qui dedit presso pópulo salútem,
Laude ter sanctum Dóminum colámus,
Semper ut tantæ méritis patrónæ
Gállia vivat. Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

Scanné avec CamScanner

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens : Dómine Jesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum.

Oratio

DEus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Felicis I :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felicem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Habébo, ut ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

Capitulum Sap. 8, 9-10

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

℟. br. Méritis et précibus * Beátæ Joánnæ. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Beátæ Joánnæ. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

AD SEXTAM

Ant. Stetit * succincta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

Scanné avec CamScanner

Capitulum Sap. 8, 12

TAcéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus * Suscéptor meus. Factus. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Suscéptor. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD NONAM

Ant. Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capitulum Sap. 8, 13

HAbébo, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam, his qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

IN II VESPERIS

Ant. et Capitulum de Laudibus.

Psalmi de Communi Festorum B. Mariæ Virg.

Hymnus

SAlve, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens
Jesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices.

Oppréssa flammis clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Hæc Conclusio nunquam mutatur.

Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Magnif. Ant. Joánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis.

Et fit Commem. sequentis et S. Angelæ Mericiæ, ut notatur infra.

Scanné avec CamScanner

Die 31 Maji

In Festo

B. Mariæ Virginis

Omnium Gratiarum Mediatricis

Duplex majus

IN I VESPERIS

Sicubi dicendæ sint integræ. Antiphonæ et Capit. de Laudibus, Psalmi et Hymnus, ut in Communi Festorum B. M. V.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Ecce Dóminus meus * ómnia mihi trádidit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi.

Oratio

DOmine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : (Qui vivis.)

Deinde fit Commem. S. Angelæ Mericiæ Virg. :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. (Per Dóminum.)

Quando festum S. Joannæ Arc transfertur, quin in die 30 fiat officium de alio festo I vel II classis, fit etiam commemoratio Ss. Cantiani et soc. Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

DEus, invisíbilis certántium fortitúdo, adésto, quæsumus, supplicatiónibus nostris : ut qui Cantiáni et Sociórum ejus gloriósum recólimus triúmphum; eórum méri-

Scanné avec CamScanner

tis et précibus contra spirituáles nequítias muniámur. (Per Dóminum.)

Postea Commem. S. Petronillæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut sicut de beátæ Petronillæ, Vírginis tuæ, festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

Conclusio Hymnorum, ad omnes Horas, erit sequens :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invitat. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam : * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

CHristus, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans!
O inexháustum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte,
Vita salúsque!

Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur génitrix María,
Cujus ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine, laudent.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Fons hortórum, * púteus aquárum vivén-

Scanné avec CamScanner

tium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

Psalmi trium Nocturnorum, ut in Communi Festorum B. M. V.

Ant. Manus meæ * stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima.

Ant. Vadam ad montem * myrrhæ, et ad collem thuris.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus. ℟. Sancta Dei Génitrix.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24, 5-11

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti : et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. In Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℣. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. — Et.

Lectio ii Ib. 22-31

EGO quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et

Scanné avec CamScanner

justítia : *Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. ℣. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. — Mélior.

Lectio iii Ib. 41-46

EGO quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquǽductus exívi de paradíso. Dixi : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis : * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. ℣. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. — Transíte. Glória Patri. Transíte.

In II Nocturno

Ant. Hábuit grátiam * et misericórdiam coram Rege super omnes mulíeres.

Ant. Pete, mater mea : * neque enim fas est ut avértam fáciem tuam.

Ant. Tu ínvoca Dóminum, * et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias. ℟. In necessitátibus nostris.

Orátio sancti Ephræm Syri Diáconi ad Deíparam

Lectio iv

DOmina mea, sanctíssima Dei Génitrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam misericórdiam inter-

Scanné avec CamScanner

rúmpant. Dei Génitrix, meum desiderabilíssimum nomen: nihil enim est firmius trophæum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ; tu creatúram replésti omni génere beneficii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certissimam tenémus; per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus; per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sæculi Apóstolis, Prophétis, justis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur; atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

℟. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. — Nec.

Sermo sancti Germáni Epíscopi Constantinopolitáni

Oratio 9, post medium

Lectio v

HOS, qui divinórum ópe-rum morúmque páuperes sumus, dum per te, o María, nobis exhíbitas benignitátis divítias cérnimus, propénse dicámus: Misericórdia Dómini plena est terra. Nos, in multitúdine peccatórum a Deo extórres, per te Deum quæsívimus et invénimus, inventóque salvi facti sumus. Igitur potens ad salútem præstándam auxílium tuum, o Dei Génitrix, ac ejúsmodi, ut nullum álium mediatórem necessárium hábeat ad Deum. Plane enim nullus tuæ magnificéntiæ finis; insatiábilis opitulátio tua. Nullus múnerum tuórum númerus est. Nullus enim, nisi per te, o sanctíssima, salútem conséquitur. Nullus, nisi per te, o immaculatíssima, qui a malis liberétur. Nullus, nisi per te, o castíssima, cui donum indulgeátur. Nullus, nisi per te, o honoratíssima, cui grátiæ munus misericórdia præstétur. Quamóbrem, quis te beátam non prædicábit? Te, inquam, gloriósam, te beatificándam, quæ ab ipso Fílio tuo ac Deo magnália nacta sis, uti magna et admiránda: quamóbrem te laudant omnes generatiónes.

℟. Præpósita ómnibus, gubérnat créditam sibi domum et univérsa, quæ ei sunt trádita. * Absque ejus império non movébit quisquam manum aut

pedem in omni terra. ℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. — Absque.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

In Nativitate B. M. V., n. 6

Lectio vi

INtuére, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cælésti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit : redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc? Forte ut excusarétur Heva per fíliam, et queréla viri advérsus féminam deínceps sopirétur. Ne díxeris ultra, o Adam : Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno veníto; dic pótius : Múlier quam dedísti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíssimum sane consílium; sed latet fórsitan áliud, nec totum hoc est. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María; ut proínde, si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea noverímus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur : quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Laudáte Dóminum, Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se : * Et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. ℣. Deus exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos. — Et in me. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. Si invéni grátiam * in óculis tuis, o Rex, dona mihi pópulum meum, pro quo óbsecro.

Ant. Benedícta es tu * præ ómnibus muliéribus super terram, quia subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

Ant. Domináre nostri, * tu, et Fílius tuus : quia liberásti nos de manu inimicórum nostrórum.

℣. A periculis cunctis líbera nos semper. ℟. Virgo gloriósa et benedícta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 25-27

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matri

Scanné avec CamScanner

ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernardíni Senénsis

Quadragesimale de Christiana Religione, Sermo 51 de Passione Domini, part. 2, art. 1, cap. 3

QUlsántur admiratióne ómnium legéntium sive audiéntium mentes, scílicet quo motu, quo sensu, qua possibilitáte, qua vera auctoritáte, ista dicúntur, quod discípulus tránseat in fílium Vírginis, et Virgo hábeat purum hóminem fílium, quem non génuit; sic nec quod sit fílius ex Vírgine, qui de corrúptis paréntibus natus erat ex sémine. Impossibília quidem vidéntur hæc, sed nihil impossíbile apud Deum. Pietáte quidem et oratióne opus est ad ingrediéndum tale mystérium. Múlier enim beáta Virgo vocátur a Christo, quam numquam appellávit ex vócibus matrem. Múlier, et non múlier; sed super ángelos, et hómines, et mulíeres superexcédens múlier. Accépit a Fílio, quem cum ætérno Patre únicum possidébat, fílium præter ventrem, quem ante in carne habébat ipsa népotem.

℟. Facta est María refúgium páuperi, * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne. ℣. Virgo potens sicut turris David : mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. — Adjútrix.

Lectio viii

SED in quo filiatiónis génere Joánnes Vírginis factus est fílius, aut ejus mater facta est Virgo? Non hoc natúra favet, non concéptus, non partus exséquitur, non ingréssus in úterum ut dénuo nascerétur, non adóptio pro hereditáte in temporálibus consequénda, nec ex imitatióne, aut ex proláta doctrína. Nec ista disserénda erant verbo Christi : nec facta est locútio ut sit quasi, sed sic a Christo légimus dictum : Múlier, ecce fílius tuus; ut, exclúsa omni superfluitáte verbórum, secrétum mystérii penetrémus. Mýstice ígitur intellígimus in Joánne omnes ánimas electórum, quorum per dilectiónem beáta Virgo facta est mater; fílius enim in græco nomen amóris est. Omnis enim Christi amor in amórem Vírginis transit, ut mérito fílius, id est, amor Vírginis nuncupétur, magísque Vírginem hábeat

Scanné avec CamScanner

matrem, quam illam, quæ illum ex peccáto damnátum mundo, suscépto sémine generávit.

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. — Ut misericórdiam. Glória Patri. Ut misericórdiam.

Pro S. Angela Mericia, lectio ix ut in Breviario.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati non fuerit dicenda, erit sequens

Lectio ix

MUtátur hæc matérnitas et filiátio ex auctoritáte verbórum Christi in cruce pendéntis. Proptérea natúra transit in grátiam, et grátia nobílitat profécto natúram; non quod una in álteram commutétur, sed quia natúra ex grátia perfícitur. Mala múlier Heva corruptióne natúræ; bona múlier María, mater grátiæ, mater misericórdiæ. Datur mater grátiæ pro matre natúræ; manet tamen mater natúra, manet étiam mater ex grátia. Erat enim Joánni mater María Salóme in órdine succedéntis natúræ; est étiam sibi mater beáta Virgo in órdine grátiæ. Est mater Heva cunctórum per tradúcem natúræ; est et Virgo María mater ómnium amántium Christum per infusiónem invisíbilis grátiæ.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
et per Horas, Añæ

1 Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

Psalmi de Dominica.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona.

Capitulum Is. 55, 1

OMnes sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

MAría, quæ mortálium
Preces amánter éx-
cipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis flligant.

Succúrre, si nos sæculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te juvánte, cónsequi
Perénne detur præmium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spí-
ritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ant. Absque tuo império * non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra.

Oratio

DOmine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Et fit Commem. S. Angelæ Mericiæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæränti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis.

Deinde Commem. Ss. Cantiani et Sociorum Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DEus, invisíbilis certántium fortitúdo, adésto, quæsumus, supplicatiónibus nostris : ut qui Cantiáni et Sociórum ejus gloriósum recólimus triúmphum; eórum méritis et précibus contra spirituáles nequítias muniámur. (Per Dóminum.)

Postea Commem. S. Petronillæ Virginis :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut sicut de beátæ Petronillæ, Vírginis tuæ, festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica; ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

In ℟. br. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Ecce gentem, ut ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem.

Capitulum Is. 55, 1

OMnes sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto et absque ulla commutatióne vinum et lac.

℟. br. Sub tuum præsídium * Omnes confúgimus. Sub tuum. ℣. Sancta Dei Génitrix. Omnes confúgimus. Glória Patri. Sub tuum.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias. ℟. In necessitátibus nostris.

AD SEXTAM

Ant. Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas.

Capitulum Is. 55, 2-3

AUdíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra.

℟. br. Nostras deprecatiónes * Ne despícias. No-

Scanné avec CamScanner

stras. ℣. In necessitátibus nostris. Ne despícias. Glória Patri. Nostras deprecatiónes ne despícias.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper. ℟. Virgo gloriósa et benedícta.

Oratio

DOmine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Virginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis.

AD NONAM

Ant. Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stetéris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona.

Capitulum Is. 55, 5

ECce gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. br. A perículis cunctis * Líbera nos semper. A perículis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Líbera. Glória Patri. A perículis.

℣. Eja ergo advocáta nostra. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capit. de Laudibus, Psalmi et Hymnus ut in Communi Festorum B. Mariæ Virg.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Salus nostra * in manu tua est : réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino.

Et fit Commem. sequentis, ac S. Angelæ Mericiæ Virginis.

Complet. de Dominica.

FESTA JUNII

Die 1 Junii

S. Probatii

Confessoris Simplex

In II Vesperis B. Mariæ V. Omnium Gratiarum Med. fit Commem. sequentis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui nos beáti Probátii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cóli-

Scanné avec CamScanner

mus, étiam actiónes imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Angelæ Mericiæ Virginis :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

In Nocturno

Lectio iii

BEátus Probátius, Conféssor Dómini egrégius, omni veneratióne digníssimus, ab ipsis cunábulis exórdium sanctitátis ingréssus, lucubratiónibus contínuis proméruit ut gradátim dignus invenirétur ecclesiástico órdine; et mérito, quippe qui se totum in templum Dei consecrávit, et ea quæ sunt hujus mundi parvi pendens, totum se cælésti meditatióni mancipáverit. Tandem miles Christi præcípuus, calcáto mirabíliter omni mundáno luxu, custos vasórum sacrórum effícitur et sacerdotáli podére trabeátus. Cum autem miræ sanctitátis odóre et bonórum óperum exuberántia longe latéque ómnia complésset loca, bono certámine perácto, cursu consummáto, elápsus est de præséntis sæculi ærúmnis, Deo gavisúrus, cujus semper voluntáti parére efficáciter stúduit. Obiit exeúnte octávo sæculo. Ejus relíquiæ, ante luctuósa Gálliæ témpora, in pago sancti Clodoáldi asservátæ magno concúrsu fidélium colebántur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Die 3 Junii

S. Clotildis

Viduæ Duplex

IN I VESPERIS

℣. Timébunt reges terræ glóriam tuam, Dómine.

Scanné avec CamScanner

℟. Et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

Ad Magnif. Ant. Tu honorificéntia pópuli nostri : * quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum.

Oratio

RESpice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus gentem : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

CLotíldis, Chilpérici regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo Burgundiónum rege necátis, Clodovéo adhuc éthnico, ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Cum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingoméres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v

ET regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus fidem edóctus.

Scanné avec CamScanner

baptizátus est, et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis : ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

CLodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium et Clodoáldum, apud se educávit. Tandem plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum : et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ, ubi religióse colebátur. Exeúnte vero sæculo décimo octávo, cum ímpii sumpsíssent principátum, et bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ, cum áliis relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deíndeque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum, de Communi 1 loco.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset * Clotíldis ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovéi regis.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commem. S. Clotildis :

Ant. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit : sancta glorificávit, et multiplicávit vasa sanctórum.

℣. Anima mea Dómino vivet. ℟. Et semen meum sérviet ipsi.

Scanné avec CamScanner

Die 7 Junii

B. Annæ a S. Bartholomæo

Virginis Simplex

In II Vesperis S. Norberti fit Commem. sequ. :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

DEus, qui beátam Annam, Vírginem tuam, exímium humilitátis exémplar effecísti : concéde nobis fámulis tuis; ut illíus vestígia sequéntes, promíssa humílibus præmia cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Lectio iii

ANna a Sancto Bartholomæo, in fínibus diœcésis Abulénsis nata, a puerítia ita pietáte flóruit, ut décimo ætátis suæ anno, dum pásceret oves haud semel in extásim rapta, præséntia Jesu Christi sub spécie infántis apparéntis recreáta sit. Abulæ in monastério sancti Joseph Carmelitárum Excalceatárum, religióni mancipáta est, ad quam per visiónem se divínitus vocátam prænóverat. Ibíque prima fuit quæ inter láicas soróres adlegerétur. Illam etsi rudem atque humiliórem sancta Terésia labórum suórum, itínerum simul et consiliórum sóciam elégit, fovit, diléxit, et in ejus ulnis recúmbens suávem vitæ efflávit ánimam. In Gálliam evocáta ad Terésiæ institútum propagándum, Anna nigrum velum, corde invíta, sed dócilis Deo, accépit. Pontisáræ monastérium fundávit cui per tres menses præfuit. Quátuor eréctis florentíssimis ascetériis, Parísiis vidélicet, Pontisáræ, Turónibus, Antuérpiæ, admirábilis constántiæ exémplum dedit, in spíritu Terésiæ matris tuéndo ac confirmándo. Forma facta novi gregis, supernaturálibus donis insígnis, óperum simul et diérum plena, Antuérpiæ, die séptima Júnii, anni millésimi sexcentésimi vigésimi sexti sancto fine quiévit. Illam Benedíctus décimus quintus Póntifex Máximus beatárum vírginum albo adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Scanné avec CamScanner

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

FESTA JULII

Die 11 Julii

S. Theobaldi

Abbatis Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Theobáldi Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Pii I Papæ et Martyris :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Pium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

THeobáldus Marliaci, qui vicus haud procul a Versáliis distat, natus est, orígínem ducens a claríssima Monmorenciórum prosápia, quam ipse quoque amplióri glória póstea illu-

Scanné avec CamScanner

strávit. Ingénuis et splendóri ortus cóngruis institutiónibus ornátum, pater eum suus Buchárdus Mónmoréncius militiæ adscrípsit, avórum béllica virtúte non degénerem futúrum. Quam a téneris vitæ piæ ratiónem institúerat, étiam inter arma mundíque illécebras semper illæsam retínuit, integritátis inoffénsæ grátiam suæ erga beatíssimam Vírginem pietáti sólitus assignáre. Plúrimas in orándo traducébat horas, ac frequens in primis adíbat ecclésiam cœnóbii Portus Régii, a Matthæo Monmoréncio quidem cónditi, a Buchárdo autem tantis adáucti bonis, ut ipse tamquam alter cónditor mérito haberétur.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v

TAndem Theobáldus magis in dies sæculi pertæsus, ad Cisterciénses in Valles Cernæas se cóntulit, ibíque vestem monásticam índuit. Frátribus, a quibus propter egrégias virtútes Abbas eléctus fúerat, tum mónitis, tum exémplis ita prófuit, ut brevi témpore inter cœnobítas paupertátis, siléntii et cæterárum, quæ religiósæ vitæ própriæ sunt, virtútum stúdium reflorúerit.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

VErum intra cœnóbii claustra continéri non pótuit præclárus ille tot virtútum splendor. Sanctus ille noster Ludovícus rex, illústris episcopus Parisiórum Guillélmus, plurimíque álii insígnes viri summo Theobáldum honóre prosecúti sunt. Quin ipsa regína Margaríta, sancti Ludovíci uxor, se stérilem dolens, sancti Abbátis précibus vóluit commendári. Moxque faustam regínæ fecunditátem Theobáldi oratiónibus a Deo impetrátam fuísse ómnibus persuásum fuit. Tandem méritis et miráculis clarus, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo quadragésimo séptimo.

Scanné avec CamScanner

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia, de Communi Abbatis i loco.

Pro S. Pio I Papa et Martyre Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Theobáldi Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Pii I :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Pium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præcedentis :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui nos beáti Theobáldi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur.

Si autem II Vesperæ dicendæ sint de præcedenti, vel Commemoratio S. Theobaldi fiat ante Commemorationem S. Joannis Gualberti (ut in I Vesperis Dominicæ concurrentis), dicitur pro S. Theobaldo Oratio Intercéssio nos, ut supra ad Laudes, et pro S. Joanne Gualberto Oratio Deus, qui nos beáti Joánnis Confessóris, ut supra.

Scanné avec CamScanner

Deinde Commem. Ss. Naboris et Felicis Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

PRæsta quæsumus, Dómine : ut, sicut nos sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis natalítia celebránda non déserunt; ita júgiter suffrágiis comiténtur. Per Dóminum.

Die 17 Julii

S. Arnulphi

Episcopi et Martyris

Duplex

In II Vesperis B. M. V. de Monte Carmelo fit Commemoratio sequentis.

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Arnúlphi Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Alexii Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

ARnulphus ex antíqua prócerum Francórum éditus prosápia, a sancto Remígio de sacro fonte suscéptus, bonísque móribus et pietáte imbútus, regis Clodovéi in grátiam ab eódem sancto Præsule insinuátus, ejus jussu Scaribérgam, nóbilem puéllam, duxit cónjugem : quacum iníto religióso

Scanné avec CamScanner

fœdere de servánda integritáte, angélico mónitu, ad Apostolórum límina devóta peregrinatióne, cunctis spretis honóribus ac ópibus, perréxit, ipsóque itínere divínis favóribus corúscans, unum in Gállia, álterum Ravénnæ mórtuum ad vitam sua oratióne revocávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum eo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v

DEínde Turónes venit ut sancti Martíni sepúlcrum venerarétur. Hujus Ecclésiæ præsul modo defúnctus erat et de eligéndo epíscopo próceres intendébant. Angélicis indíciis designátus Arnúlphus, hujus cáthedræ invítus régimen súbiit. Porro, sesquiánno vix elápso, vir non tam óneris impátiens quam honóris, íterum peregrinári instítuit, auditóque sancti Remígii óbitu, ut ejus túmulum cóleret, Remos ádiit, sponsámque velo virginitátis amíciens, Christo consecrávit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

HInc furéntes Vírginis propínqui Dei fámulum prope sancti Remígii oratórium ímpie trucidárunt, sicque Póntifex ut pietátis et puritátis hóstia occúbuit. Móriens Martyr a sponsa petíerat ut Turónes corpus suum deférri curáret. Id pia virgo cum satágeret, médio in itínere sacrum cádaver divíno nutu fixum hæsit eo in loco, qui silvæ Aquílinæ agéllus in tractu Versaliénsi, nunc autem ab ejus nómine Sanctus Arnúlphus dícitur, ubi digne cum cónditum fuísset, mox divína virtus incláruit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno Homilia in Evang. Si quis venit, de Communi unius Mart. 1 loco.

Pro S. Alexio Confessore Lectio ix, ut in Breviario.

Scanné avec CamScanner

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Arnúlphi Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Alexii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced. :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma.

Deinde Com. S. Alexii :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui nos beáti, ut supra.

Postea Commem. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Martyrum.

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorósæ et filiórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 19 Julii

S. Vincentii a Paulo

Confessoris

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Egéni * et páuperes quærunt aquas, et non sunt : Ego Dóminus

Scanné avec CamScanner

exáudiam eos. Deus Israël, non derelínquam eos.

Psalmi de Dominica, sed loco ult. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Suscitábo * mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet.

3 Lábia ejus * custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus, quia Angelus Dómini exercítuum est.

4 Ædificábo * ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus.

5 Inebriábo * ánimam sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Capitulum Eccli. 18, 2

MIserátio hóminis circa próximum suum; misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus

QUI mutáre solet grándibus ínfima,
Omnes exsúperans máximus ómnium,
Vincénti, ténuem te Deus éxtulit,
Cæli cœtibus ínferens.

Vilis sub túguri tégmine násceris,
At splendor ténebras excípiet breves;
Te compléxa sinu præsídium sibi
Nutrix paupéries parat.

Ut promptam míseris ferre scias opem,
Duras, heu! páteris servítii vices;
Sed te, dum fídei subdit herum jugo,
Solvit cómpede véritas.

Quantus nunc óperum luce pates! tuis
Christi sponsa nitet culta labóribus;
Clero priscus honos, vívaque lánguidis
Exsúrgit pópulis fides.

Te montánus, inops, æger et órphanus,
Te plebs tota suum jure vocat Patrem:
Cunctis lætus ades, córpora súblevas,
Mentes concílias Deo.

Regum concíliis jussus ades sacris;
Mentis certa tua lúmina cónsulunt;
Te nil tangit honos; et míseros ope,
Et regnum mónitis juvas.

Quem flectunt ínopes, máxima laus Patri;
Ægris unde salus, máxima Fílio;
Blando qui récreas péctora flámine,
Par sit laus tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Parásti in dulcédine tua páuperi, Deus. ℟. Dó-

Scanné avec CamScanner

minus dabit verbum evangelizántibus virtúte multa.

Ad Magnif. Ant. Páuperes Sion * saturábo pánibus : sacerdótes ejus índuam salutári, et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Oratio

DEus, qui ad salútem páuperum et Cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua, per beátum Vincéntium, famíliam congregásti : da, quæsumus; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári caritátis prærogatíva decorásti : ejus, quæsumus, méritis, spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad cæléstem mereámur corónam pervenire. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

AD MATUTINUM

Invitat. Evangelizántem paupéribus Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

O Qui supérnæ gáudia pátriæ
Haustu perénni plénius ébibis,
Ne sperne, Vincénti, tuórum
Vota, preces, gémitus cliéntum.

Futúrus olim paupéribus pater,
Discis vel infans paupériem pati :
Præstantióres transitúris
Divítias tibi Christus offert.

Primis sub annis se tibi mútuo
Intácta junxit fœdere cástitas :
In corde puro caritátem
Relígio pietásque fovit.

Christum fidéli reddis imágine :
Sermóne, gressu, móribus éxprimis;
Christíque matris dulce nomen
Obséquiis et amóre laudas.

Vinclis onústus tartáreis herum
Solvis caténis; hinc tibi rédditus,
Noxis ligátos quot salúti
Restítuis, subigísque Christo!

Scanné avec CamScanner

Austeriórem dum sapiéntiam
Castígat orbis blanda serénitas,
Se corda subdunt, seque gaudent
Elóquio dominánte vinci.

Latére gestis : spléndida non sinit
Latére virtus : régia te vocat :
Arcána tractas sacra regum,
Consílio monitísque prodes.

Doctrína puris édita fóntibus
Pervérsa constans dógmata réspuit.
Scuto retúndis veritátis
Mille malas novitátis artes.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Compar tibi sit glória, Spíritus :
A se vocátos roboránti
Summus honor Dómino per ævum. Amen.

In I Nocturno

Ant. Proficiébat * atque crescébat, et placébat tam Dómino quam homínibus.

Psalmi trium Nocturnorum, de Comm. Conf. non Pont.

Ant. Cum captus esset, * in captivitáte tamen pósitus viam veritátis non deséruit, et numquam contamináti est.

Ant. Dóminus * erat cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i 1 Cor. 1, 17-31

Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapiéntiam sapiéntium et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam : ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sa-

Scanné avec CamScanner

piéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus : et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Cum ab infántia sua Deum semper timúerit, non est contristátus contra Deum quod plaga evénerit ei : * Sed immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Venérunt flúmina, flavérunt venti, et non cécidit. — Sed.

Lectio ii

VIdéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia : et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret : ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio; ut quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Sapiéntia vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, * Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum. ℣. Oppréssum a nefandórum injúria ac luxuriósa conversatióne erípuit; aspéctu enim et audítu justus erat. — Descendítque.

Lectio iii 1 Cor. 2, 1-7

AT ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos : et sermo meus, et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos : sapiéntiam vero non hujus sæculi, neque príncipum hujus sæculi qui destruúntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram.

℟. Juxta manum Dei sui bonam super se, * Parávit

Scanné avec CamScanner

cor suum ut investigáret legem Dómini, et fáceret et docéret in Israël præcéptum et judícium. ℣. Dévitans profánas vocum novitátes et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. — Parávit. Glória Patri. Parávit.

In II Nocturno

Ant. Tulit me Dóminus * cum séquerer gregem, et dixit Dóminus ad me : Vade, prophéta, ad pópulum meum.

Ant. Annuntiábam * ut pœniténtiam ágerent, et converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes.

Ant. Multi credéntium * veniébant confiténtes, et annuntiántes actus suos.

℣. Sústulit eum de grégibus óvium. ℟. Páscere Jacob servum suum, et Israël hereditátem suam.

Lectio iv

Incéntius a Paulo, Pódii, non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitánia, natus, a púero exímia in páuperes caritáte enítuit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divínas cum Tolósæ, tum Cæsaraugústæ dídicit. Sacerdótio initiátus et theológiæ láurea insignítus, cum Tolósam Massília redíret, in Turcas incidit, qui, navis magístro aliísque interémptis, ipsum sagítta vulnerátum in Africam captívum abduxérunt. Ibi herum suum, qui a christiána fide, ut Mahumétis sequerétur deliraménta, defécerat, rursus Christo lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opituláante Deípara, prorípiens, ad apostólica límina iter instítuit, unde revérsus in Gállias, suadénte sanctæ Románæ Ecclésiæ cardináli Berúllo, Clippiáci primum, mox Castelliónis parœcias sanctíssime rexit. Moniálibus Visitatiónis a sancto Francísco Salésio præpósitus, tanta prudéntia per annos círciter quadragínta eam curam sustínuit, ut máxime comprobáverit quam verum et rectum esset judícium ejúsdem sanctíssimi Præsulis, qui sacerdótem Vincéntio dignióren nullum se nosse fatebátur.

℟. Evangélii factus sum miníster secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis ejus. * Mihi, ómnium sanctórum mínimo, data est grátia hæc, evangelizáre investigábiles divítias Christi. ℣. Ego novíssimus evigilávi, et quasi qui cólligit acínos

Scanné avec CamScanner

post vindemiatóres, in benedictióne Dei et ipse sperávi, et quasi qui vindémiat replévi tórcular. — Mihi, ómnium sanctórum mínimo, data est grátia hæc, evangelizáre investigábiles divítias Christi.

Lectio v

GYmnasiárcha collégii Bonórum Puerórum Parísiis constitútus, congregatiónem Presbyterórum sæculárium Missiónis instítuit, qui, contémptis mundi hujus illécebris, ad rústicos et agréstes fídei cathólicæ mystéria et divína præcépta edocéndos se addícerent. Plures misit ex his non solum in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hibérniam, sed étiam ad Bárbaros et Indos, nostrísque terris dissociátas gentes, quas, depúlsis idololátriæ ténebris, ad lucem veritátis adduxére. Ecclesiásticas domos recipiéndis cléricis qui ad sacros órdines promovéndi essent assignávit. Sacerdótes adunávit, qui statis diébus de divínis rebus inter se conférrent. Ut autem non solum salúti animárum, sed étiam córporis indigéntiæ consúleret, matronárum cœtus et societátem Puellárum Caritátis nuncupatárum fundávit, quæ sénibus, púeris, egénis, et omnis géneris ægrotántibus curándis inserviendísque diu noctúque allaborárent. Infántes expósitos, vírgines periclitántes, mulíeres lapsas, peregrínos, infírmos, artífices inválidos subsídiis et hospítiis etiámnum superstítibus excépit ac pie fovit. Valetudinária pro infírmis remígibus, Parísiis et Massíliæ, eo eníxe procuránte, régia liberalitáte constrúcta et dotáta fuére. Lotharíngiam, Campániam, Picárdiam peste, fame, bellóque vastátas, lárgiter refécit; et cum ipsa Parisiórum cívitas ingénti annónæ penúria gravíssime vexarétur, domi suæ ad duo míllia páuperum sustentávit.

℟. Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucris fácerem; * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Oculus fui cæco et pes claudo; pater eram páuperum. — Omnibus.

Lectio vi

GCclésiam Versaliénsem juvat in memóriam revocáre quam bono ánimo víllicis hic villicórum fílius inservíerit. Anno Incarnatiónis millésimo sexcentésimo duodevicésimo, in vico Villam-Pyrósam dicto, Família de Gondi

Scanné avec CamScanner

annuénte, missiónes instítuit et confraternitátem a caritáte, in regno Gálliæ secúndam, fundávit. Póstea in paróchia Vallis-Puteolórum, in prædio Frennevíllæ, congregatióni sancti Lázari pro missiónibus attribúto, sæpius morabátur et regiónis víllicos edocébat et peccáta confiténtes audiébat. In bellis civílibus, regiónis hujus, et Stampénsis, et Versaliénsis rurícolis auxiliátus, fruménta, argéntum, vestes utensília et arma rústica procurávit. Stampas, cópiis circumstántibus, Guillervállem, Villam-Cónai, Estorciácum, necnon et Sanctum Arnúlphum in Aquílina, missionários misit, qui mórtuos quotídie sepelírent et vivos cibis refocillárent, a Filiábus a Caritáte adjúti. Item Palatióli, Villæ-Novæ Sancti Geórgii, Gevesiáci, Gauníssæ íncolis opitulátus est. Sed, non tantum víllicis et egénis, sed étiam optimátibus consúluit. Ludóvici enim tértii décimi jussu, sancti Germáni in Lida, bis missiónis exercítiis non sine fructu sese impéndit. Ipsum rex móriens in último illo agóne adjutórem consolatorémque hábuit, et Anna Austríaca, post regis óbitum, eum in privátum consílium ascívit. Quo in múnere, ejus præcípua cura fuit ut nónnisi dignióres ecclésiis ac monastériis præficeréntur. Hæc inter et ália gravíssima negótia, Deo júgiter inténtus, cunctis affábilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus aliénus, Sanctæ Sedi Apostólicæ fírmiter addíctus, et fídei avítæ ápprime tenax, non minus sénio quam córporis labóribus conféctus, óbiit Parísiis, et quinto kaléndas Octóbris, anno millésimo sexcentésimo sexagésimo, ætátis suæ octogésimo quinto et apud domum sancti Lázari, quæ caput erat congregatiónis Missiónis, sepúltus est. Quem virtútibus, méritis ac miráculis clarum Clemens duodécimus, sanctórum número adscrípsit, ipsíus celebritáti die décima nona mensis Júlii quotánnis assignáta.

℟. Auris áudiens beatificábat me, et óculus videns testimónium reddébat mihi, eo quod liberássem páuperem vociferántem, et pupíllum cui non esset adjútor :* Benedíctio perítúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. ℣. Qui parce séminat, parce et metet, et qui séminat in benedictió-

Scanné avec CamScanner

nibus, de benedictiónibus et metet. — Benedíctio perítúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. Glória. Benedíctio.

In III Nocturno

Ant. Addúxit * sacerdótes atque levítas, et congregávit eos.

Ant. Dixit ad eos : * Audíte me, levítæ, et sanctificámini, mundáte domum Dómini, et auférte omnem immundítiam de sanctuário.

Ant. Egréssi autem * circuíbant per castélla, evangelizántes ubíque.

℣. Dóminus dabit voci suæ vocem virtútis. ℟. Date glóriam Deo super Israël.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 9, 35

IN illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

In Cap. ix Matth.

GErnis quod æquáliter et villis, et úrbibus, et castéllis, id est, et magnis et parvis Evangélium prædicáverit; ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater, et hanc esúriem ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni, et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem, ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Venérunt ad eum in hospítium plúrimi, * Quibus exponébat testíficans regnum Dei, suadénsque eis de Jesu ex lege Móysi et prophétis, a mane usque ad vésperam. ℣. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos. — Quibus.

Lectio viii

VIdens autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur : Messis quidem multa, operárii autem pauci; rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum significat multitúdinem : operárii pauci penúriam magistrórum.

Scanné avec CamScanner

℟. Misit levítas et sacerdótes, * Docebántque habéntes librum legis Dómini, et circuíbant atque erudiébant pópulum. ℣. Profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte. — Docebántque. Glória Patri. Docebántque.

Lectio ix

ET ímperat ut rogent dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Isti sunt operárii de quibus lóquitur Psalmísta, dicens : Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua; veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. Et, ut apértius loquar, messis multa, omnis turba credéntium est; operárii autem pauci, et Apóstoli et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Erat vir ille * simplex et rectus ac timens Deum, et recédens a malo.

Psalmi de Dominica.

2 Vir justus * atque perféctus fuit in generatiónibus suis; cum Deo ambulávit.

3 Dedit * in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini.

4 Ipse est * diréctus divínitus in pœniténtiam gentis : gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

5 In opéribus bonis * testimónium habens, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecútus est.

Capitulum Eccli. 18, 12

MIserátio hóminis circa próximum suum; misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus

UT nunc ab alto prævia
Nos luce, Vincénti,
regis,
Virtútis exémplo tuæ,
Signans ad astra trámitem!

Dilécta Sponso vírginum
Corpus sacrávit cástitas;
Ornáre virtútum chorus
Mentem pudícam géstiit.

Hinc illa qua te déprimis
Sibi timens modéstia :
Hinc blanda morum lénitas,
Vitæque candor símplicis.

Scanné avec CamScanner

Sed inter omnes émicat
Quo fervet igne cáritas;
Quot illa pascit páuperes,
Quot corda Christo súbjicit!

Ardénte zelo pércitus,
Late Dei mystéria
Per rura pandis; nec tamen
Curam poténtum déseris.

Te sensit error íntegra
Dolos repulsántem fide;
Te sensit infénsum scelus,
Tibíque cessit ímpotens.

Pii labóris ǽmulam
Prolem sub alis cóngregas:
Hanc voce, factis, móribus,
Dux et magíster édoces.

Qui se perénne prǽmium
Dat caritáte férvidis,
Uni sit et trino Deo
Laus et perénnis glória.
Amen.

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Bened. Ant. Operátus est bonum, * et rectum, et verum coram Dómino Deo suo in univérsa cultúra ministérii domus Dómini, juxta legem et cæremónias, volens requírere Deum suum in toto corde suo.

Oratio

DEus, qui ad salútem páuperum et Cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua, per beátum Vincéntium, famíliam congregásti: da, quæsumus; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Ad Horas, Ant. et Psalmi de Feria.

AD PRIMAM

Ad absolutionem Capituli: Lectio brevis Indúite, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capitulum Eccli. 18, 12

MIserátio hóminis circa próximum suum; misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

℟. br. Providébam Dóminum * In conspéctu meo semper. Providébam. ℣. Quóniam a dextris est mihi, ne commóvear. In conspéctu. Glória Patri. Providébam.

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua. ℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

AD SEXTAM

Capitulum Exod. 18, 19

ESto tu pópulo in his quæ ad Deum pértinent, ut réferas quæ dícuntur ad eum, ostendás-

Scanné avec CamScanner

que pópulo cæremónias et ritum coléndi.

℟. br. Servávi mandáta tua * Et testimónia tua. Servávi. ℣. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. Et testimónia tua. Glória Patri. Servávi.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

AD NONAM

Capitulum Col. 3

INdúite vos sicut elécti Dei sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam. Super ómnia autem hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis.

℟. br. Dispérsit, dedit paupéribus, * Justítia ejus manet in sæculum sæculi. Dispérsit. ℣. Cornu ejus exaltábitur in glória. Justítia. Glória Patri. Dispérsit.

℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem. ℟. In die mala liberábit eum Dóminus.

IN II VESPERIS

Ant., Pss. et Capit., ut in I Vesperis.

Hymnus

QUis novus cælis ágitur triúmphus?
Cælitum plausum comiténtur hymni :
Ecce lux Cleri, Pater indigéntum
Æthere splendet.

Facta, Vincénti, tua te perórnant;
Cáritas aptat cápiti corónam;
Teque, quam terris húmilis parásti,
Glória vestit.

Quam rudes olim pópulos docébas,
Véritas nunc se tibi tota pandit;
Páuperi quidquid pia dextra fudit,
Reddit Olympus.

Te sacerdótes vel adhuc magístro,
Optimum Christi réferunt odórem;
Púllulat per te sacra lætióri
Vínea fœtu.

Sed tibi quantum decus elabórant
Vírgines castæ sociæque matres?
Páuperum gaudent, duce te, fidéles
Esse minístræ.

Corde qui puro míseros levábas,
Disce nunc votis hóminum rogári,
Te suum clamant ínopes, amíca
Turba, patrónum.

Summus ætérno sit honos Paréntí;
Par decus Nato míseros levánti;

Scanné avec CamScanner

Sancte, sit compar tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Magnif. Ant. Diléctus Deo * et homínibus, cujus memória in benedictióne. Símilem illum fecit Deus in glória sanctórum : glorificávit illum in conspéctu regum, et osténdit illi glóriam suam.

Oratio

DEus, qui ad salútem páuperum et Cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua, per beátum Vincéntium, famíliam congregásti : da, quæsumus; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. sequentis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Margaritæ Virginis et Martyris :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Margaríta Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

Die 21 Julii

S. Clari

Martyris Duplex

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus

Scanné avec CamScanner

enim erat supra firmam petram.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Clari Mártyris tui natalítia cólimus : intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Deus, misericórdiarum, ut supra.

Deinde Commem. S. Praxedis Virg. :

Ant. Veni, sponsa.

℣. Spécie tua.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Praxédis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

CLarus, in Anglia, Olchéstria ad Támisim civitáte, Eduárdo viro nóbili, témpore Edmúndi regis senióris, natus est. Qui cum post stúdia litterárum, locupléti ac nóbili vírgini sponsus a paréntibus destinarétur, sublímius vitæ genus meditátus, relícta repénte domo ac pátria, emensóque oceáno, in advérsum Gálliæ littus trajécit. Ad Cæsarobúrgum appúlsus, cum áviam solitúdinem péteret, in nemus ádjacens cuidam vico se recépit; ubi cum duóbus sóciis inter contínuas fere ut peregríno et suspécto illátas ab íncolis moléstias, vitam prope cæléstem íntegro biénnio transégit. Tandem vértere solum coáctus, ad beátum Odobértum vitæ sanctitáte insígnem, et Mandanénsis monastérii, olim a sancto Scubitióne constrúcti, Abbátem, profectus est. A quo exáctius vitæ monásticæ disciplínam edóctus ad fluviólum Costum, nunc ab eo rívulum Sancti Clari nominátum, ea conditióne céllulam habére permíssus est, ut diébus Domínicis ac festis ad basílicam Sancti Pauli, quæ monastérii princeps erat, divínis mystériis participatúrus accéderet.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :

Scanné avec CamScanner

* Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v

INterim tantis virtútibus et miráculis cláruit, ut clericátus honóre dignus Odobérto viderétur, et a Constantiénsi Epíscopo présbyter ordinátus sit. Quo in múnere post energúmenum immúndo purgátum spíritu, et fílium, ut tradunt, mulíeris víduæ a morte suscitátum, cum frequéntior ad eum concúrsus fíeret, veréri cœpit ne promíscua ac familiárior inter persónas cujúsque sexus ac ætátis conversátio sanctitáti ac pudicítiæ suæ labem áliquam afférret, aut saltem sinístram suspiciónem aspérgeret. Quare accépta ab Odobérto licéntia, Néustriæ silvas atque duméta peragrávit, et quædam étiam vicínæ Gálliæ loca lustrávit. Tandem in Vulcanísso pago, non longe ab Itta flúmine, cóndita sibi, auxílio Dei et cujúsdam fámuli sui indústria, céllula, sedem fixit; ubi ab omni cura vácuus, iis quæ præ cæteris sacerdótis múnia spectant, oratióni et ministério verbi totus incúbuit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

NON pótuit tamen ejus singuláris virtus effícere, quin poténtis cujúsdam féminæ impúdicus amor ejus pudicítiam attentáret. Cui tentatióni fórtiter adversátus vir Dei, monastérium derelíquit : quod illa ægre et iníquo ánimo ferens, duos mílites misit, qui eum in agro repértum interfecérunt. Cujus corpus in ipso loco sepúltum, et post annos quátuor, non sine miráculis, áliquot retéctum; nunc in propínqua parochiáli ecclésia ipsíus nómine insignita, capsa argéntea et inauráta inclúsum, asservátur, et décimo sexto Kaléndas Augústi cólitur.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

Scanné avec CamScanner

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 34-42

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 1 in Matth. Cap. 10

SUpra díxerat : Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis prædicáte super tecta : nunc infert quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est : unaquæque domus et infidéles et credéntes hábuit, et proptérea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et turrim extrúere festinábant, per quam cæli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

VEni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michæa Prophéta scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri Testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum, an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Qui ante præmíserat : Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hóminem advérsus patrem et matrem, nurum et socrum : ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens : Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cántico légitur canticórum : Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni afféctu necessárius est : Ama, post Deum, patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est vere martyr qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit,

Scanné avec CamScanner

sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Glória Patri. Qui minas.

Pro S. Praxede Virgine Lectio ix, ut in Breviario.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens

Lectio ix

ORdo pulchérrimus : ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat : dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum : Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit; et qui me récipit, récipit eum qui me misit; ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrarétur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Clari Mártyris tui natalítia cólimus : intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Praxedis Virginis :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæränti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Praxédis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma.

Scanné avec CamScanner

Die 22 Julii

S. Mariæ Magdalenæ
Pœnitentis

Duplex majus

Omnia ut in Proprio Sanctorum præter ritum.
Utræque Vesperæ integræ.

Die 24 Julii

Commem. omnium Ss. Episcoporum
Patronorum
et aliorum sanctorum
Diœcesis Versaliensis

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Ps. 115 Crédidi.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus * et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum Tob. 2

Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

Hymnus

Cælo quos éadem glória cónsecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies :
Læti vestra simul prémia dícimus
Duris parta labóribus.

Jam vos pascit amor núdaque véritas,
De pleno bíbitis gáudia flúmine;
Illic perpétuam mens sátiat sitim
Sacris ébria fóntibus.

Excélsis hábitans in penetrálibus [beat;
Se Rex ipso suo contúitu
Illabénsque sui pródigus, íntimis
Sese in méntibus ínserit.

Altári médio, cui Deus ínsidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor :
Quæ mactáta Patri se semel óbtulit,
Se perpes litat hóstia.

Pronis turba senum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis
Regnánti Dómino dévovet áurea,
Quæ ponit, diadémata.

Scanné avec CamScanner

Gentes innúmeræ, conspícuæ stolis
Agni purpúreo sánguine cándidis,
Palmis læta cohors, cántibus æmulis,
Ter sanctum célebrant Deum.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sit par, sancte, tibi, laus quoque, Spíritus,
Qui das pro méritis, óptimus árbiter,
Te totum simul ómnibus. Amen.

℣. Exáltent eos in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Ant. Sit memória * illórum in benedictióne, et nomen eórum permáneat in ætérnum.

Oratio

TRíbue, quæsumus, omnípotens Deus : omnes sanctos quos nostra ferventius venerátur Ecclésia, júgiter oráre pro nobis eósque semper audíri; ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. S. Apollinaris Ep. et Mart. :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

DEus, fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollináris Sacerdótis tui martýrio consecrásti : tríbue nobis, quæsumus, fámulis tuis, ut, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Christinæ Virg. et Mart. :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio C 2

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

AD MATUTINUM

Invit. Auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui glorificátur in sanctis suis, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

Hymnis dum résonat cúria cælitum,
Hic flemus pátriis fínibus éxsules :
Hic suspénsa tenémus
Mutis cántibus órgana.

Quando mens mísero líbera cárcere
Se vestris sóciam cœtibus ínseret :
Et, calígine pulsa,
Cæli lucem habitábimus?

Obscúræ fúgient mentis imágines,
Cum stantes própius lúminis ad jubar,
Nos verum sine nube
Ipso in fonte vidébimus.

Nobis, sancta cohors, sis bona : flúctibus
Luctántes médiis quos modo réspicis,
Da portus, duce Christo,
Da contíngere prósperos.

A quo cuncta fluunt máxima laus Patri :
Qui mundum réparat, máxima Fílio :
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Laudémus * viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua.

In tribus Nocturnis Psalmi de Communi Conf. Pont.

Ant. Elégit ipsos Dóminus * offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem pro pópulo suo.

Ant. Super muros tuos, * Jerúsalem, constítui custódes; tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos

Lectio i

Cap. 12, 1-5, 12-15, 22-25

Antam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen : aspiciéntes in auctórem fídei, et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes.

℟. Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros : * Dívites in virtúte, glóriam adépti sunt.

Scanné avec CamScanner

℣. Dedúxit illos Dóminus in viam rectam, ut irent in civitátem habitatiónis. — Dívites in virtúte, glóriam adépti sunt.

Lectio ii

PRopter quod remíssas manus et solúta génua erígite; et gressus rectos fácite pédibus vestris, ut non cláudicans quis erret, magis autem sanétur. Pacem sequímini cum ómnibus, et sanctimóniam, sine qua nemo vidébit Deum : contemplántes ne quis desit grátiæ Dei : ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, et per illam inquinéntur multi.

℟. Mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; * O fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum. ℣. Mémores estóte quáliter patres nostri tentáti sunt, ut probaréntur si vere cólerent Deum. — O fílii.

Lectio iii

SED accessístis ad Sion montem et civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et ecclésiam primitivórum qui conscrípti sunt in cælis, et júdicem ómnium Deum, et spíritus justórum perfectórum, et testaménti novi mediatórem Jesum, et sánguinis aspersiónem mélius loquéntem quam Abel. Vidéte ne recusétis loquéntem. Si enim illi non effugérunt, recusántes eum qui super terram loquebátur, multo magis nos, qui de cælis loquéntem nobis avértimus.

℟. Odiéntes malum, caritáte ínvicem diligéntes, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, patiéntes, oratióni instántes, humílibus consentiéntes, * Providébant bona non tantum coram Deo, sed étiam coram homínibus. ℣. Sollicitúdine non pigri, nulli malum pro malo reddéntes. — Providébant. Glória Patri. Providébant.

In II Nocturno

Ant. Ipsi scitis, * fratres, intróitum nostrum ad vos : facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos.

Ant. Mémores estis * labóris nostri et fatigatiónis. Nocte ac die operántes, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

Ant. Deprecántes vos, * testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam.

Scanné avec CamScanner

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Lectio iv

Ecclésia Versaliénsis, ineúnte sæculo décimo nono, a Pio séptimo erécta, non sicut vetustióres Ecclésiæ antíquitus fundátæ, Sanctos Præsules, quos mémoret, habet, a quibus fidem et vivéndi normam accéperit. Sed cum pártibus a vicínis regiónibus distráctis coalúerit, hos rite ut magístros fídei ipsa útique venerátur, quos antiquióres atque illústres veneránt Ecclésiæ, a quibus áliquam territórii partem accépit. In primis, nam cum Parisiénsibus majóres partes habet, beátum Dionýsium colit, virum Apostólicum Parisiénsis Ecclésiæ verbo, scriptis et sánguine patrem, et cum eo Germánum, Marcéllum, Landerícum, Ceráunum, cæterósque Pontífices, qui Christi víneam, tantis partam labóribus, novis in dies increméntis auxérunt. Símili vínculo cum vicínis Ecclésiis conjúncta Sanctos Præsules, a quibus istæ inítium, seu increméntum fídei accepérunt, gratis obséquiis celebráre non omíttit Aniánum, Ivónem et Leóbinum cum Carnuténsibus; Nicásium, Mellónum, Románum et Audoénum, una cum Diœcési Rothomagénsi; Saviniánum, Potentiánum et Lupum cum Senonénsibus; Taurínum, qui apud Ebroïcénses, Luciánum et Régulum, qui apud Bellóvacos fidem intulérunt. Hos omnes, hujus, quam incólimus, regiónis Apóstolos vel Rectóres, quum de síngulis festa perágere non póssumus, commúni cultu et memória conjúngere juvat.

℟. Ergo jam non estis hóspites et ádvenæ, * Sed estis cives sanctórum et doméstici Dei. ℣. Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. — Sed estis.

Lectio v

Terram hanc tantórum Pontíficum sudóribus, nec semel cruóre irrigátam Eugénius et Iónius Sancti Dionýsii discípuli et imitatóres, Ætérnus Ebroïcénsis Epíscopus, Clarus Présbyter, aliíque plures sánguine suo perfudérunt; Arnúlphus vero, dum per fines nostros transíret, vita functus, pretióso córpore ditávit. Quid mirum si exínde plúrima virtútum seges efflóruit? Hinc profécti

Scanné avec CamScanner

Corbiniánus et Vulfrámnus, alter Frisíngiæ, alter apud Frisónes Christi fidem propagárunt; Ansbértus Rothomagénsem Ecclésiam sanctíssime rexit, Erembértus Tolosánam. Divérsis quoque tempóribus, sed non dissímili virtútum laude, Clodoáldus a régia stirpe, ómnibus abdicátis, sæculum contémpsit, Gauchérius et Theobáldus, extrúctis cœnóbiis, cæléstem vitam duxérunt, utérque vero Guliélmus curam pastorálem exercuére. Nec parum nobis decóris accédit, quod Ludovícus ille noster, rex piíssimus et bonus miles Christi, Piscíaci, in fínibus nostris, sacro baptísmate ablútus est, unde Pisciacénsis cognómen frequénter usurpáre tráditur. Sanctórum Confessórum turmam Sanctárum Vírginum chorus inséquitur, e quibus Máxima, Durdáni regis fília, virginitátis laudem cum martýrii palma conjúnxit, et Beáta Isabélla, Sancti Ludovíci regis soror, spretis mundi oblectaméntis, Christo sponso in humilitáte et paupertáte servíre máluit, ac Piéntia nóbilis virgo Sancti Nicásii ossa prope Ittam sepeliénda curávit, ideóque cápite plexa est. His accédit sancta múlier María ab Incarnatióne dicta, quæ Pontísaræ cœnóbium Carmelitárum ab ipsa exstrúctum et veneránda ossa relíquit.

℟. Benefáciat vobis Deus, memínerit testaménti sui, et det vobis cor ómnibus ut colátis eum; * Et nunc hic sumus oántes pro vobis. ℣. Omnis namque Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum. — Et nunc.

Lectio vi

HUic Ecclésiæ Versaliénsi quod et quantum decus flos sanctitátis attúlerit, recenséntibus nobis prætereúndum non est Sanctum Bernárdum in Concílio Stampis congregáto dixísse, Petrum Tarentasiánum Epíscopum plura mirácula edidísse, Francíscum Salésium máxima amóris vi et doctrína conciónes habuísse, beátum Vincéntium a Paulo verbi divíni præcónes per vicos non semel emisísse et moriénti Ludovíco décimo tértio apud Sanctum Germánum adfuísse. Hos omnes quorum dissímiles pugnæ, sed par constántia, et consímiles victóriæ, simúlque illos, quorum relíquiæ ad nos delátæ, frequénti

Scanné avec CamScanner

populórum concúrsu celebrántur. Exupérium Corbólii, Cantiánum, Cántium, Cantianíllam Stampis, Honorínam ad Isaræ et Séquanæ confluéntem, Juliánam in Valle Sancti Germáni, necnon locórum Patrónos et ecclesiárum Tituláres, illos dénique omnes, quorum nómina sive injúria témporum, sive inscrutábili Dei consílio ab hóminum memória intercidérunt, sed scripta manent in libro vitæ, et ánimæ jam nunc in cælis triúmphant, hodiérnæ festivitátis lætítia complectimur, commilitónes simul adprecántes jam coronátos, ut quos de sua æternitáte secúros cólimus, de salúte certántium sollícitos sentiámus, ut ipsórum vestígiis inhæréntes in eámdem, ad quam pari sorte vocáti sumus, cæléstem pátriam et nos ipsi deveniámus.

℟. Ideóque et nos tantam habéntes impósitam nubem téstium et deponéntes omne pondus, * Currámus ad propósitum nobis certámen. ℣. Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo. — Currámus. Glória Patri. Currámus.

In III Nocturno

Ant. Nunc ergo, * o fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum.

Ant. Mementóte * præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Ant. Mementóte * óperum patrum, et accipiétis glóriam magnam, et nomen ætérnum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus : et apériens os suum docébat eos, dicens : Beáti páuperes spíritu. Et réliqua.

Homilía sancti Euchérii Epíscopi

Homil. 12 de Ss. Mart.

NAgnum quidem est públicis atque commúnibus dare vota solemnitátibus, sed excelléntior quædam festívitas

Scanné avec CamScanner

judicánda est alúmnis exsultáre virtútibus. Et ídeo indigenárum sanctórum cultus et honor speciálium patronórum, sicut peculiáre dat gáudium, ita próprium requírit affféctum. Etenim, si peregrínas palmas extraneásque corónas ac transmarínos triúmphos tanta nos opórtet sedulitáte venerári, ut quod aliénum est locis nostrum faciámus offíciis, quanto nos impénsius cónvenit in eórum celebritáte fervére stúdio, excubáre famulátu, quibus multíplicem debet relígio devotiónem, Eccléesia honórem, pátria caritátem! Ut sicut eórum jure nascéndi cognáti sumus, ita nobis erga eos pietátis et grátiæ privilégium vindicémus, atque ad eos fídei devotióne prius accedámus, ut quorum esse cives gratulámur in terris, cum his mancipátum habére mereámur in cælis.

℟. Fratres, sicut accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti et superædificáti in ipso, et * Confirmáti in fide, sicut et didicístis. ℣. Mementóte præpositórum vestrórum, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. — Confirmáti.

Lectio viii

QUÆ cum ita sint, caríssimi, ad tenéndam fidem, ad excoléndam religiónem, non nobis áliqua de longínquo sunt exspectánda documénta; patérnis instrúimur magistériis, ac domésticis admonémur exémplis. Díscite, ínquiunt, ex nobis fidem quæréndo acquírere, vivéndo excólere, moriéndo serváre; díscite plus peccátum timére quam gládium : díscite propter vitam magis justítiam amáre quam vitam, fidémque et timórem Dei. Cavéte ne ánchoram spei et religiónis, quam nos custodívimus in fluctu, vos amittátis in portu. Cavéte ne vitam bonam, si quando afflictiónibus súbditam vidéritis, míseram judicétis. Cavéte ne in aréna mundi, in qua ad subeúndos agónes missi sumus, áliquam felicitátem exspectándam putétis. Non hic quæras quod hic nullus sanctórum consummátus labóre, nullus conféssor, nec Christus invénit.

℟. Fecísti, Dómine, patres eléctos, et sanctificásti eos; * Custódi partem tuam, et sanctífica. ℣. Exáudi oratiónem servórum tuórum, et dírige nos in viam justítiæ. —

Scanné avec CamScanner

Custódi. Glória Patri. Custódi.

IX Lectio de Homilia Vigiliæ S. Jacobi, ut pro Vigiliis Apostolorum in Communi.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Psalmi de Dominica.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus * et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum Tob. 2

FIlii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

Hymnus

JEsu, Redémptor ómnium,
Vitæ beátæ prǽmium,
Vultu pio nos áspice,
Tua Parénte súpplice.

O purpuráti Mártyres,
Jam laureáti mílites,
Christi redémptos sánguine
Juváte Christi nómine.

O quos beat conféssio,
Votíva quos proféssio,
Et quos erémus prótulit,
Nos vestra salvet cáritas.

Vos, castitátis gérmina,
Fœcúnda cælis ágmina,
Carnis solútos néxibus
Locáte sanctis sédibus.

Arcéte gentes ímpias,
Oves vocáte dévias.
Sit pastor unus ómnium,
Unúsque grex fidélium.

Præsta, beáta Trínitas,
Nos sanctitátis sémitas,
Pulsis salútis hóstibus,
Tutis tenére gréssibus.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Vos estis lux mundi : * non potest cívitas abscóndi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

Oratio

TRíbue, quæsumus, omnípotens Deus : omnes sanctos quos nostra ferventius venerátur Eccléesia, júgiter oráre pro nobis eósque semper audíri; ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Com. Vig. S. Jacobi (Ant. et ℣. de Feria currenti).

Oratio C

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Jacóbi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Christinæ Virg. et Mart. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio C 2

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Ad Horas, Ant. et Ps. de Feria.

AD PRIMAM

Ad absolutionem Capituli : Lectio brevis Obedíte, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capitulum Tob. 2

FIlii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exsultáte. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio

TRíbue, quæsumus, omnípotens Deus : omnes sanctos quos nostra ferventius venerátur Eccléesia, júgiter oráre pro nobis eósque semper audíri; ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

AD SEXTAM

Capitulum 1 Thess. 4

FRatres, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis quómodo opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis.

℟. br. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Scanné avec CamScanner

AD NONAM

Capitulum Hebr. 13

OBedíte præpósitis vestris et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi. ℣. Exsultábunt justi in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis :

Ant. Amávit eos Dóminus et ornávit eos; stolam glóriæ índuit eos; et ad portas paradísi coronávit eos.

℣. In cæléstibus regnis sanctórum habitátio est. ℟. Et in ætérnum réquies eórum.

FESTA AUGUSTI

Die 4 Augusti

S. Exuperii

Baiocensis Ep. et Conf.

Commemoratio

In I Vesperis S. Dominici :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Exupérii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Lectio ix

BEátus Exupérius, Romæ, anno sexagésimo sexto, nóbili génere piísque paréntibus natus, ab infántia divíno cúltui déditus, caritáte erga páuperes cláruit. In Gálliam missus, Episcopus Baiocénsis eléctus est, et pœniténtiæ amóre, virtútibus et indefessa prædicatióne innúmeros hómines christiánæ legi subjugávit. Multos tam ánimæ, quam córporis sanávit ægrótos, meritísque insígnis óbiit in Dómino. Normánnis Gálliam invadéntibus, sancti Exupérii relíquiæ, Paludélli in Diœcési Versaliénsi collocándæ deportátæ sunt; et, paulo post, ecclésia Corbólii in honóre ejus dedicáta est, anno nongentésimo décimo tértio; dein propter reliquiárum in novas thecas translatiónem, institúta est ánnua in eádem ecclésia supplicátio, et quotánnis

Scanné avec CamScanner

hujus solemnitátis memória domínica quinta post Pascha. Te Deum.

Ad Laud. pro S. Exuperio :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Exupérii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Die 7 Augusti

S. Ionii

Martyris Duplex

In II Vesperis Transfiguratiónis D. N. J. C. fit Commemoratio sequentis :

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

MArtyris tui Iónii, sacerdótis, solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur : ut in caritáte radicáti et fundáti, passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ quæ revelánda est in nobis, invícto ánimo sustinére valeámus. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Cajetani Conf. :

Ant. Quærite primum regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

℣. Amávit eum.

Oratio

DEus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cæléstia desideráre. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

IOnius, Atheniénsis, álio nómine Iónas, présbyter, ut tráditur, a sancto Dionýsio, primo Parisiórum Episcopo, ordinátus, ad eos qui versus Austrum civitátis incolébant, prædicatiónis evangélicæ causa, sæpius est deputátus. In primis, postquam Beátus Antístes in vico Longi-Pontis státuam lígneam in árbore inter frondes invénit, quæ matris cum infánte effígiem præbébat, a plúribus

Scanné avec CamScanner

ut deam adorátam, illam interpretátus, et idolórum cultóres mystérium Incarnatiónis edócuit, ad eos Iónium misit qui incœptum opus conversiónis perágeret. Itaque, in fonte, qui sub sanctuário ecclésiæ nunc recónditur, eos baptizávit atque íbidem oratórium eréxit in honórem Beátæ Maríæ, ad quod per sæcula tantus populórum concúrsus áffluit, ut hoc vículo ingéntem ecclésiam venerábilis Audiérna Montis-Leherici comitíssa, tam pietátis quam necessitátis causa, ædificáre decréverit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v

GEssánte persecutióne in qua beátus Dionýsius martýrium obívit gloriósum, Parísios redux, christiános qui dispérsi fúerant, collégit; deínde Castrénse territórium festinánter íterum accéssit et sedem principálem Castris, nunc Arpajónii státuit. Ibi commorátus, herbis viréntibus et aqua frígida, ne cui óneri esset, vitam susténtans, pace intérdum Ecclésiæ data, clam vel apérte secúndum témpora et locos, verbum Dei prædicans, opus Dómini instánter fidelitérque prosecútus, ad últimam senectútem pervénit. Satis probábile est ab eo memóriam Sancti Cleméntis Papæ, a quo Dionýsius munus ac offícium Gálliæ ad Christum converténdæ accéperat, ita felíciter excúltam esse, ut exínde íncolæ hujúsce óppidi Beátum Pontíficem tamquam Patrónum et Ecclésiæ et civitátis veneraréntur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

GUM autem plebis multitúdinem non módicam tam ex Castris quam ex adjacéntibus vicis pertraxísset ad fidem, renováta subínde persecutióne, dum verbum Dei prædicáret non longe ab Urbiæ amnículo, comprehénsus est. Cum autem nec minis nec contuméliis addúci posset, ut a fide præ-

Scanné avec CamScanner

dicánda abstinéret, cápite truncátus est, die nonárum Augústi. Corpus ejus a milliário uno, in monte tunc desérto, nunc dicto Monte Sancti Iónii, sepúltum est; ad cujus sepúlcrum miráculis gloriósum afflúere cœpérunt vicinióres íncolæ, ita ut vigínti quinque paróchiæ quotánnis solémniter vota et preces afférrent, usque ad finem sæculi décimi octávi. Circa túmulum erémitæ íbidem consedérunt, et fundátus est órdinis Cluniacénsis priorátus. Póstea, córporis ex humo extrácta pars una in Castrénsi basílica depósita est, áltera Corbólii.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolíte arbitrári, de Communi 3 loco.

Pro S. Cajetano Confessore, Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

MArtyris tui Iónii, sacerdótis, solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur : ut in caritáte radicáti et fundáti, passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ quæ revelánda est in nobis, invícto ánimo sustinére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Cajetani Conf. :

Ant. Nolíte sollíciti esse dicéntes : Quid manducábimus aut quid bibémus? Scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cæléstia desideráre. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Donati Episcopi et Martyris :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Scanné avec CamScanner

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

DEus, tuórum glória sacerdótum : præsta, quæsumus : ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justus ut palma.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre * post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Et fit Commem. sequentis :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Cajetani :

Ant. Quærite primum regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui beáto, ut supra.

Die 9 Augusti

S. Joannis Mariæ Vianney

Confessoris

(d. a. ex 4 hujus)

Duplex (m. t. v.)

IN I VESPERIS

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet, et ædificábo ei domum fidélem.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastorali stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi, et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Romani Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

IOánnes María Viánney, in pago Dardílly, Lugdunénsis diœcéseos, piis rurícolis ortus, ab infántia visus est divíno consílio vocátus, ut apóstoli munus aliquándo expléret. Illi mos erat, cum octénnis oves custodíret, modo puérulos, ad imáginem Deíparæ genufléxos, Rosárium verbo et exémplo edocére, modo soróri vel álteri commísso grege, secretiórem lucum pétere, quo expedítior oratióni vacáret. Agris coléndis addíctus, æquáles suos, si quid minus casti audíret, suáviter redarguébat, aut seórsum glebas vertens, de cæléstibus meditabátur, et, ne mens inter laborándum a contemplatióne avocarétur, simulácrum quoddam Vírginis præ se collocábat. Páuperum amantíssimus, in delíciis habébat eos turmátim in patris domum dedúcere, cibo donáre, accénso igne refovére, ignáros vero nisi fídei Sýmbolum erudítos non dimittébat. Mirábilis in eo morum candor, constans in immaculátam Dei Ma-

Scanné avec CamScanner

trem observántia, ardens in Eucharistiam pietas et cultus. Hinc sacérdos palam ab ómnibus prædicabátur futúrus. Lítteris imbuéndus párocho vici Ecúlly tráditus est; sed ut erat tardióris ingénii, magnas in stúdiis ac pene insuperábiles expértus est difficultátes. Jejúnio et oratióne divínam opem iterum atque iterum implorávit : et facilitátem discéndi rogatúrus, túmulum sancti Francísci Regis, stipem quæritans, ádiit. Neque eum pia spes feféllit : nam, theologicárum disciplinárum currículo operóse confécto, satis idóneus invéntus est qui sacris initiarétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

IN pago Ecúlly, præeúnte párocho, cujus vicárius renuntiátus fúerat, potióres pastorális perfectiónis gradus attíngere totis víribus conténdit. Elápso triénnio, in vículum Ars, qui non ita multo post diœcési Bellicénsi adscríptus est, quasi Angelus de cælo fuit missus. Illic fídei rudiménta passim ignorabántur; templum Dei prope desértum squalébat; obsoléverat Sacramentórum usus; violátus Dómini dies, assíduus choreárum ludus, et magna in caupónis frequéntia. Animos non despóndit strénuus pastor : oppidános síngulos peramánter invísit, pópulo verba facit tanto erga Deum amóre, ut ipse primus, auditóres deínde lácrimas effúndant; ecclésiæ suum reddit honórem, frequéntem Eucharístiæ usum ínvehit, pias sodalitátes instáurat. Tutándis puéllis pene derelíctis hospítium, cui nomen a Providéntia, ædíficat, et ópibus intérdum divínitus tráditis ínstruit : pro utriúsque sexus púeris scholas éxcitat, téneram in immaculátam Vírginem et in beátam Philuménam ánimis pietátem indit, atque id brevi conséquitur ut felix ille vículus virtútum ómnium palæstra a cunctis habeátur. Ratus autem pastóris esse flagítia concréditæ plebis expiáre, neque oratiónibus parcébat, neque vigíliis et macerationibus. Noctu super nudos ásseres, duas vel tres horas non sine

Scanné avec CamScanner

curis dormiébat : ad tres dies haud raro jejúnia protrahébat, famémque tenuíssimo cibo, sitim autem aquæ cýatho explébat : caténa férrea, cilício, flagris carnem quotídie cruentábat. Eódem faciébat arctíssima ejus paupértas. Si quid obsónii electióris, si quid argénti vel domésticæ supelléctilis habéret, ómnia in páuperes erogábat. Tantam viri Dei virtútem cum Satan ferre non posset, eum calúmniis primum, dein apérto certámine adórtus est; sed atrocíssimas vexatiónes patiénter tolerábat Joánnes María, qui experiéndo didícerat majóres fíeri diabólicos incúrsus, cum ad pœniténtiæ tribúnal perditíssimi adventárent peccatóres.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

QUod in paróecia sua perfécerat, idípsum in finítimis molítus est. Invitabátur enim a curiónibus vicínis ut, Missionariórum more, animárum salúti qua concionándo, qua confessiónes excipiéndo consúleret, et síngulis præsto semper erat. Quin et stúdio glóriæ Dei incénsus effécit, ut pia Missiónum exercítia in ámplius centum paróeciis, constitúto censu perpétuo, institúerit, manípulos messúrus et in iis, quas lustráre ipse non póterat, regiónibus. Inter hæc, Deo servum suum miráculis et charismátibus illustránte, orta est célebris illa peregrinátio, qua, per vicénnium, centum fere míllia hóminum, cujúsque órdinis et ætátis quotánnis Ars confluxérunt, non solum ex Gálliæ et Európæ, sed étiam Américæ dissitíssimis provínciis. Trahebántur enim, tum stúdio viséndi sacerdótem supérnis donis ditátum, íntimas ánimi scrutántem látebras, futúra prænoscéntem, prodígia plúrima operántem; tum ánimo consíliis ejus uténdi et præsértim cordis sui plagas in Pœniténtiæ sacraménto detegéndi. Totus erat Joánnes María in conscéntiis judicándis moderandísque : quo in múnere, cibi, somni et quiétis ímmemor, septémdecim horas quotídie terébat, nullo ad vacándum die interpósito. Cum autem humíllime de se sen-

Scanné avec CamScanner

tíret, bis sancto fidélium desidério se subdúcere frustra tentávit. Dénique fortis miles pugnándo cécidit, et labóribus pótius quam sénio consúmptus, mortis suæ prænuntiáto témpore, placidíssime in ósculo Dómini quiévit, die quarta Augústi, anno reparátæ salútis millésimo octingentésimo quinquagésimo nono. Quem multis clarum miráculis Pius décimus inter Beátos adnumerávit. Eum novis miráculis fulgéntem Pius Papa undécimus, anno universális jubilæi, die Pentecóstes, inter Sanctos rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 9, 35-38

IN illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

In Matth. 9

GErnis quod æquáliter et villis et úrbibus et castéllis, id est, magnis et parvis Evangélium prædicáverit, ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater : et hanc esúriem, ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni : et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem; ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

VIdens autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti, et jacéntes

Scanné avec CamScanner

sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum significat multitúdinem : operárii autem pauci, penúriam magistrórum. Et ut apértius loquar, messis multa, omnis turba credéntium est : operárii autem pauci, et apóstoli, et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Pro Vigilia S. Laurentii Mart. Lectio ix, ut in Brev.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati dicenda non fuerit, erit sequens

Lectio ix

ET convocátis duódecim discípulis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem infirmitátem. Benígnus et clemens Dóminus ac magíster non ínvidet servis atque discípulis virtútes suas. Et sicut ipse curáverat omnem languórem et omnem infirmitátem, Apóstolis quoque suis tríbuit potestátem ut curárent omnem languórem et omnem infirmitátem in plebe.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Ipse est diréctus * divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. Vigiliæ S. Laurentii : Ant. et ℣. de Feria currenti, ut in Psalterio.

Scanné avec CamScanner

Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Romani :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Román no Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præced. :

Ant. Multi credéntium veniébant confiténtes et annuntiántes actus suos.

℣. Justum dedúxit.

Die 13 Augusti

S. Radegundis

Reginæ, Viduæ

Duplex

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæ rénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEus, cujus ope beáta Radegúndis aulæ delícias vitæ monásticæ austeritáte commutávit : da nobis, ejus collucéntibus exémplis et suffragántibus méritis, terréna non sápere, sed amáre cæléstia. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Claræ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Ss. Hippolyti et Cassiani Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi,

Scanné avec CamScanner

et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

DA, quǽsumus, omnípotens Deus : ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

RAdegúndis, fília Berthárii, Thuringórum príncipis, Clotárii primi ex captíva conjux, beneficéntiam in páuperes, vigílias statas et crebras oratiónes, cilícii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitæ asperitátem, cum régia dignitáte conjúnxit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, prόspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v

OCcíso fratre jussu Clotárii, ipso permitténte ab aula discédens, sanctum Medárdum ádiit; cumque monásticam vestem suscepísset, in diáconam ab eo benedícta est. Pictávos profécta, ibi ex munificéntia régia monastérium Vírginum sub régula sancti Cæsárii Arelaténsis cóndidit. Impetravítque póstea a concílio Turonénsi secúndo congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem. Cœnóbio sorórem Agnétem Abbatíssam præfécit, quam consecrávit sanctus Germánus Parisiénsis.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

EA autem pietáte Radegúndis sacrifícium Eucharístiæ prosequebátur, ut in illíus usum panes própriis mánibus confíceret, quos divérsis suppeditábat ecclésiis; ac, præter cétera pietátis offícia, id illi máximæ curæ erat ut pro régibus indesinénter preces fíerent in monastério. Ejus corpus terræ mandávit Gregórius Turonénsis, occupáto in diœcési obeúnda Merovéo Pictaviénsi, cui tamen reservátum est ut revérsus

Scanné avec CamScanner

Missam celebráret, tumulóque opérculum impóneret.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno Homilia in Evang. Símile est... thesáuro abscóndito, de Communi nec Virg. nec Mart. I loco.

Si hodie fuerit Sabbatum, Lectio ix de Homilia Vigiliæ anticipatæ Assumptionis (Lectio I diei sequentis in Breviario), alias pro Ss. Hippolyto et Cassiano Martyribus, Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

DEus, cujus ope beáta Radegúndis aulæ delícias vitæ monásticæ austeritáte commutávit : da nobis, ejus collucéntibus exémplis et suffragántibus méritis, terréna non sápere, sed amáre cæléstia. Per Dóminum.

Et, in Sabbato, fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ Assumptionis, ut die sequenti notatur in Breviario.

Deinde Commem. Ss. Hippolyti et Cassiani Martyrum :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio Da, quæsumus, ut supra.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Et fit Commem. S. Eusebii Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Die 15 Augusti

Assumptio B. M. V.

Omnia ut in Breviario.

Pro Commemoratione Voti Ludovici XIII additur ad VI Lectionem.

LUdovícus décimus tértius, Francórum rex, memor gratiárum quas a Deo óptimo máximo, favénte Vírgine Deípara, fúerat consecútus, ut grati ánimi sensus futúris sæculis testarétur, se suúmque regnum solémni voto beátæ Maríæ Vírgini consecrávit, edícto in hæc verba propósito : Beatíssimam et gloriosíssimam Vírginem in speciálem regni nostri Patrónam assuméntes, eídem speciáli modo nos, nostrum sceptrum, nostram corónam, nostrósque omnes súbditos dicámus et consecrámus. Cujus nostri mancipátus, ne memória apud pósteros éxcidat, mandámus fíeri post Vésperas diéi Festi Assumptiónis processiónem, ritu et apparátu quam máxime solémni, in síngulis dominatiónis nostræ ecclésiis, tam cathedrálibus quam parochiálibus et conventuálibus, cujuscúmque civitátis et pagi : præcipiéntes ínsuper quátenus superióres cúriæ ac locórum optimátes dictæ processióni intérsint. Móneant étiam Episcopi pópulos omnes nostros, ut peculiári erga beatíssimam Vírginem amóre afficiántur, ipsiúsque patrocínium die illa solémni implórent ut fretum ádeo poténtis Patrónæ præsídio, regnum nostrum ab ómnibus hóstium tutum sit insídiis, et diutúrna gáudeat pace : Deúsque óptimus máximus tanta in eo colátur reveréntia, ut nos subditíque omnes ad beátum finem cui sumus cónditi téndere ac pervenire valeámus. Vita functo Ludovíco décimo tértio, edíctum pii cónjugis confirmávit Anna Austríaca, regni moderátrix: quod votum Christianíssimi reges, avítam pietátem sectántes, exínde renovárunt.

Die 16 Augusti

S. Rochi

Confessoris

Commemoratio

Ad Matutinum in Officio S. Joachim, pro S. Rocho Conf.

Lectio ix

ROchus in Monte Pessuláno natus, quanta in próximum caritáte flagráret tum máxime osténdit, cum sævíssima peste longe latéque per Itáliam

Scanné avec CamScanner

grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque et óppida perágrans, seípsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium, quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia infféctos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives, sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est veneratio fidélium, quæ in Constantiénsi deínde Concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum, ad propulsándam ingruéntem luem, Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, Epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus octávus, Póntifex Máximus, ut ejus dies festus, iis in locis in quibus forent ecclésiæ sancti Rochi nómine Deo dicátæ, Offício ecclesiástico celebrarétur, indúlsit. Idémque indúltum post Urbánum octávum benígna sanctæ Sedis concessióne étiam ad plura ália loca exténsum fuit.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. pro S. Rocho :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

POpulum tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

Die 19 Augusti

S. Joannis Eudes

Confessoris Duplex

Omnia ut in Breviario præter Lectiones II Nocturni.

In II Nocturno

Lectio iv

IOánnes, anno millésimo sexcentésimo primo, in pago vulgo Ri, Sagiénsis diœcésis, ortus est ex piis honestísque paréntibus, qui,

Scanné avec CamScanner

voti cómpotes, eum Beátæ Maríæ Vírgini consecrárunt. Ab ineúnte ætáte, pietátem ita cóluit, ut perpétuam castitátem duodecénnis vóverit, quindecénnis autem speciáli se ejúsdem Vírginis tutélæ commíserit, dignus proptérea, qui a condiscípulis devótus Eudes vocarétur. Confécto studiórum currículo apud Patres Societátis Jesu, spretísque sibi oblátis núptiis, Berulliáni Oratórii Congregatióni nomen dedit, et sacerdótio Parísiis auctus est. Religióne, Sacræ Scriptúræ stúdio et divínæ prædicatiónis zelo plúrimum excélluit. Nec verbis solum, sed et vitæ exémplis, Christi caritátem expréssit. Nam, Argentónii cívibus asiática lue percúlsis, pedes eo se cóntulit, ac per loca magis infécta corpóribus animísque curándis óperam dedit. Hoc idem, quadriénnio post, Cadoménsibus præstitit, et, ne áliis ipse contagiónem inférret, intra dólium in prato pernoctábat. Ob quas virtútes, quamvis invítus, domus Oratoriánæ Cadómi Rector factus est. Sed quum jámdiu cogitáret ad Ecclésiæ ministérium júvenes idóneos institúere, quo facílius sanctum propósitum assequerétur, a sodálibus, quibúscum vigínti annos familiáriter víxerat, divína ope enítxe imploráta, licet ægre, forti tamen ánimo, discéssit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v

QUinque ígitur sacerdótes sibi consócians, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo tértio, die festo Annuntiatiónis Maríæ Vírginis presbyterórum congregatiónem instítuit, cui Sanctíssima Jesu et Maríæ Nómina dedit, et Cadómi primum seminárium apéruit, quod in Normánnia et Británnia minóri complúra, eódem auctóre, subsecúta sunt, quibus cleri disciplínæ in his regiónibus abúnde fuit consúltum. Ut autem peccátrices mulíeres ad vitam christiánam revocáret, étiam Filiárum Beátæ Maríæ Vírginis a Caritáte instituit Sodalitátem, ipso adhuc vivénte, in religiósam famíliam ab Apostólica Sede evéctam. Témporum decúrsu, eæ-

Scanné avec CamScanner

dem sanctimoniáles, tum a Refúgio, tum a Bono Pastóre nuncupátæ, rami nobilíssimæ arbóris, cujus radix et truncus Joánnes est, ubíque géntium propagátæ sunt. His ómnibus, ut ipse devotárum animárum perfectióni mélius prospíceret, Societátem a Matris Dei Corde admirábili adjécit, etália cóndidit caritátis ópera. Scripta multa præclára édidit, et Missionárius Apostólicus tot pagos, óppida, illústres urbes, usque ad éxtremam ætátem, lætis pœniténtiæ frúctibus colléctis, evangelizávit. Et plúries signánter, in território nostræ diœcésis, verbum Dei cum singulári fructu et eloquéntia prædicávit, scílicet in missiónum exercítiis Corbólii, Pontísaræ et Ablínguæ, necnon in Jubilæi statiónibus apud régiam aulam tum Versáliis, tum Sancti Germáni in Silva.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

Singulári erga Sanctíssima Jesu et Maríæ Corda flagrans amóre, de litúrgico eis cultu præstándo, non sine áliquo divíno afflátu primus cogitávit. Cujus ídeo suavíssimæ religiónis tum pater existimándus est, quippe qui usque ad institúta sacerdótum congregatióne solémnia Sacrórum eorúmdem Córdium inter suos fílios celebránda curávit, tum doctor, nam própria Offícia et Missam in eórum honórem compósuit; tum dénique apóstolus, toto est enim péctore nisus, ut salubérrimus ipsórum cultus in quemcúmque locum evulgarétur. Jansenistárum doctrínis fórtiter resístens, immutátum erga Petri cáthedram obséquium servávit, et pro suis inimícis, tamquam pro frátribus, assídue Deum rogávit. Tot labóribus, potiúsque quam annis, fractus, cum sibi vitæ finem adésse intellígeret, máxime cúpiit dissólvi et esse cum Christo. Itaque Filiábus Beátæ Maríæ Vírginis a Caritáte postrémum valedícto, die décima nona Augústi, anno millésimo sexcentésimo octogésimo nóbili filiórum circumdátus coróna, suávia Jesu et Maríæ Nómina sæpius répetens, plácide exspirávit. Quem plúribus miráculis clarum Pius Papa Décimus Beatórum albo adscrípsit, eúmque

Scanné avec CamScanner

novis signis fulgéntem, Pius Papa undécimus, anno sacro, in domínica Pentecóstes, inter Sanctos rétulit, ejúsque Offícium ac Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

DIE 25 AUGUSTI

SANCTI LUDOVICI

REGIS FRANCORUM, CONFESSORIS, ECCLESIÆ CATHEDRALIS TITULARIS ET TOTIUS DIŒCESIS PATRONI

Duplex I classis cum Octava communi

IN I VESPERIS

Ant. 1 Virgam virtútis emíssam ex Sion * suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Psalmi de Dominica, sed loco ult. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hæreditátem géntium, veritátem et judícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

4 Collocávit * eum cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes gentes Dóminus.

5 Reges terræ * et omnes pópuli, príncipes et omnes júdices terræ laudent nomen Dómini.

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

REX summe regum, qui poténti númine,
Quo sunt creáta regna, nutu dívidis,
Dum thure fumant templa, voce persónant,
Audi profúsas regis in laudem preces.

Nascens in ipsa Ludovícus púrpura,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus;

Scanné avec CamScanner

Piéque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit ántequam ímperet.

Justi sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu,
Pietáte cælum flectit, aras éxcitat,
Deóque templa, tecta nudis érigit.

Mox christiáni serus ultor sánguinis,
Eménsus æquor, inque littus bárbarum
Vexílla pandens, urget armis ímpios,
Unóque vitam pro Deo pacíscitur.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula. Amen.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Magnif. Ant. Quæsívit Dóminus * sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Et fit Commem. S. Bartholomæi Ap. :

Ant. Estóte fortes in bello et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúja.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomæi festivitáte tribuísti : da Ecclésiæ tuæ, quæsumus; et amáre quod crédidit, et prædicáre quod dócuit. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Rex summe regum, ut supra.

In I Noeturno

Ant. Diléctus Deo * et homínibus, Ludovícus, cujus memória in benedictió-

Scanné avec CamScanner

ne est, in lege Dómini meditátus est die ac nocte.

In tribus Noct., Psalmi de Communi Conf. non Pont.

Ant. Ego autem * constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præcéptum ejus.

Ant. Tu es, Dómine, * suscéptor meus, glória mea et exáltans caput meum, super míllia pópuli circumdántis me.

℣. Prævenísti eum, Dómine. ℟. In benedictiónibus dulcédinis.

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 7, 3-11

EGO natus accépi commúnem áerem, et in simíliter factam décidi terram, et primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involuméntis nutrítus sum, et curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, et símilis éxitus. Propter hoc optávi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ; et præpósui illam regnis et sédibus; et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus, nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua; et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam, quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa.

℟. Locútus es sanctis tuis, et dixísti, Dómine : * Exaltávi eléctum de plebe mea; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Deus elégit patres nostros, et suscitávit illis regem, cui testimónium pérhibens, dixit. — Exaltávi.

Lectio ii Cap. 8, 9-15

PRopósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis; et acútus invéniar in judício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me; tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient; et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc immortalitátem; et memó-

Scanné avec CamScanner

riam ætérnam his qui post me futúri sunt relínquam. Dispónam pópulos, et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi : in multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis.

℟. Ecce dedit vobis Dóminus regem : * Si timuéritis Dóminum et serviéritis ei, éritis et vos et rex qui ímperat vobis sequéntes Dóminum Deum vestrum. ℣. Deum timéte, regem honorificáte, quia sic est volúntas Dei. — Si.

Lectio iii Cap. 8, 21; 9-16

ET ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapiéntiæ scire cujus esset hoc donum, ádii Dóminum, et deprecátus sum illum, et dixi ex totis præcórdiis meis : Deus patrum meórum et Dómine misericórdiæ, qui fecísti ómnia verbo tuo, et sapiéntia tua constituísti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ a te facta est, ut dispónat orbem terrárum in æquitáte et justítia, et in directióne cordis judícium júdicet; da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis; quóniam servus tuus sum ego et fílius ancíllæ tuæ, homo infírmus et exígui témporis, et minor ad intellectum judícii et legum; nam et si quis erit consummátus inter fílios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

℟. Díssipat ímpios rex sápiens; misericórdia et véritas custódiunt regem, * Et roborábitur cleméntia thronus ejus. ℣. Qui custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, et reget eas. — Et. Glória. Et.

In II Nocturno

Ant. Fortis * in bello, máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes, quam glóriam adéptus est!

Ant. Invocávit * Altíssimum poténtem, in oppugnándo inimícos úndique; et audívit illum magnus et sanctus Deus.

Ant. Succínxit se * arma béllica sua in præliis, et protegébat castra gládio suo.

℣. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso. ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Lectio iv

LUdovícus nonus, Francórum rex, Piscíaci natus et baptizátus, unde gloria-

Scanné avec CamScanner

bátur nómine Ludovíci Pisciacénsis, anno ætátis duodécimo patri Ludovíco succéssit, regnúmque sub tutéla Blanchæ, sapientíssimæ matris, administráre cœpit. Hæc fílium a púero sanctis documéntis institúerat, dícere sólita : Mallem, fili, te vita et regno privátum, quam lethális peccáti reum agnóscere. In ipso regni exórdio, viros spectátæ virtútis et prudéntiæ, cum e cléricis, tum e láicis, in consílium adhíbuit : et Albigénses perduélles, patérnis jam armis impetítos, subégit. Rebus cum finítimis princípibus compósitis, totum se divíno cúltui promovéndo dedit. Duéllo et blasphémiis pénitus exstirpándis incúbuit; histriónes et joculatóres regno éxpulit. Benefícia ecclesiástica nónnisi probátis, ac præcípue per Ecclésiæ Parisiénsis cancellárium, persónis, neque jam áliud habéntibus, nisi illo abdicáto, conferébat. Adeo justítiæ studiósus fuit, ut quacúmque transíret, illáta si qua forent a comitátu damna, per Archidiáconum Parisiénsem aliósque notæ æquitátis viros inquíri jubéret ac resarcíri; et contra Saracénos profectúrus, mónitos per præcónem súbditos volúerit, ut qui læsi forte essent, ipsum adírent, ómnibus factúrum satis.

℟. Sancta in manu extraneórum facta sunt : vasa glóriæ nostræ captíva abdúcta sunt : * Quæ erat líbera facta est ancílla : quo ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. ℣. Ascendérunt gentes super latitúdinem terræ, et circuiérunt castra sanctórum et civitátem diléctam. — Quæ.

Lectio v

TRigésimo ætátis anno, gravi morbo afféctus Pontísaræ, accépta cruce ab Episcopo Parisiénsi, sacrum bellum vovit. Et post áliquot annos, contráctis ingéntibus cópiis, matri commíssa regni cura, mare trajécit. Atque ubi primum Saracénos in líttore adstántes conspéxit, e navi in mare ense distrícto congressúrus insíliit : fugatísque hóstibus, Damiátam victor intrávit. Sed debilitáto póstmodum ex lue exércitu, victus ipse captúsque est; neque, per totum captivitátis tempus, horárum canonicárum, quas ubíque quotídie persolvébat, recitatiónem intermísit. Cum de pace

Scanné avec CamScanner

actum est, ipse conditiónes Saracénis dedit miréntibus quod victus victóribus leges impóneret. Pacto fœdere, rex cum exércitu liber dimíttitur : cumque in pecúnia numeránda, Saracénis non adverténtibus, errátum esset, íntegrum pecúniæ pondus solvi vóluit, violáti pacti alióquin reis. Annos deínde círciter quátuor, quo Saracénos ad servándas induciárum conditiónes adígeret, in Sýria commorátus, christiános multos e vínculis erípuit, Gentíles fídei præcéptis ímbuit, ac christianórum urbes áliquot et castra suis súmptibus instaurávit. Interim mater ejus migrat e vita : cujus ut mortem accépit, in génua prócidens, obórtis lácrymis, hæc verba prótulit : Grátias tibi ago, Dómine, qui matrem únice diléctam, quam ad tempus commodáveras, recepísti; ita sit ut plácitum est coram te : sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, * Et in vínculis non derelíquit illum, et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. — Et in vínculis.

Lectio vi

IN Gálliam rédiens, navi prope Cyprum ad Syrtes allísa, coram sacra eucharístia, cujus in navi asservándæ facultátem a Legáto Apostólico obtinúerat, supplíciter orans, ab imminénte naufrágii perículo liberátus est. Cumque navis ad réliquum itíneris minus tuta a nautis renuntiarétur, rex pius, rejécta prócerum sententia, in áliam transíre nóluit, ne sexcénti fere hómines qui, metu perículi, ex eádem navi descendíssent, in ínsula remanérent, inde numquam aut vix reversúri; malle se dicens, cum líberis et uxóre, Deo áuspice, perículum adíre, quam sibi suísque cum tanto totque hóminum damno consúlere. Post réditum, piis opéribus impénsius stúduit. Plúrima Lutétiæ aliísque in locis ædificávit aut perfécit monastéria et páuperum hospítia. Frequens visébat ægrótos, quibus non súmptibus modo, sed et mánibus própriis ministrábat. In páuperes munificentíssime próvidus, virgínibus dotem, provínciis annónæ inópia laborántibus aliménta, univérsis egéntibus necessária suppeditá-

Scanné avec CamScanner

bat. Veste vulgári utebátur; cilício et jejúnio sæpe corpus affligébat. Cum in Africam trajecísset, bellum dénuo Saracénis illatúrus, jamque, capta Carthágine, castra prope Tunétum in eórum conspéctu posuísset, mortem imminére séntiens, documénta rege digna Christianíssimo sua manu conscripta Philíppo fílio et successóri trádidit; illúdque Davídicum próferens : Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine, ánimam Deo réddidit apud Cartháginem, anno ætátis quinquagésimo quinto, Christi vero millésimo ducentésimo septuagésimo. Eum miráculis illústrem Bonifácius octávus sanctórum albo inséruit. Ossa ejus apud Sanctum Dionýsium transláta sunt, caput Parísiis ad sanctam Capéllam, pars vero carnis apud Montem Regálem prope Panórmum in Sicília.

℟. Ipse est diréctus in pœniténtiam gentis, et * Tulit abominatiónes impietátis, et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et † In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Dei minister in bonum, vindex in iram ei qui malum agit. — Tulit. Glória Patri. In diébus.

In III Nocturno

Ant. Habitábit * confidénter rex in tabernáculo Dómini, et in monte sancto Dei requiéscet.

Ant. Desidérium cordis * ejus tribuísti ei, tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Ant. Sanctus Ludovícus * accépit benedictiónem et misericórdiam a rege glóriæ Dómino virtútum.

℣. Magna est poténtia ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-36

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

De Civit. Dei, l. 5, c. 24

CHristiános quosdam imperatóres non ídeo felíces dícimus quia vel diútius imperántes fílios morte plácida reliquérunt, vel hostes rei-

Scanné avec CamScanner

públicæ domuérunt, vel inimícos cives advérsus se insurgéntes et cavére et opprímere potuérunt. Hæc et ália vitæ hujus ærumnósæ vel múnera, vel solátia, quidam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quo pértinent isti; et hoc ipsíus misericórdia factum est, ne ab illo ista qui in eum créderent velut summa bona desiderárent.

℟. Fecit quod erat bonum coram Dómino : non fuit símilis illi de cunctis régibus : adhæsit Dómino, * Et non recéssit a vestígiis ejus. ℣. Fecit mandáta ejus, unde et erat Dóminus cum eo. — Et non.

Lectio viii

SED felíces eos dícimus, si juste ímperant; si inter linguas sublímiter honorántium et obséquia nimis humíliter salutántium non extollúntur, sed se hómines esse meminérunt; si suam potestátem, ad Dei cultum máxime dilatándum, majestáti ejus fámulam fáciunt : si Deum timent, dfligunt, colunt; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes : si tárdius víndicant, fácile ignóscunt; si eámdem vindíctam pro necessitáte regéndæ tuendáeque reipúblicæ, non pro saturándis inimicitiárum ódiis, éxerunt; si eámdem véniam, non ad impunitátem inquitátis, sed ad spem correctiónis, indúlgent; si quod áspere cogúntur plerúmque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compénsant; si luxúria tanto eis est castigátior, quanto posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis quam quibúslibet géntibus imperáre.

℟. Memória Ludovíci in compositiónem odóris facta opus pigmentárii : * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Ipse est diréctus divínitus ad pœniténtiam gentis. — In diébus. Glória Patri. In diébus.

Lectio ix

ET si hæc ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter caritátem felicitátis ætérnæ; si pro suis peccátis, humilitátis, et miseratiónis, et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non négligunt, tales christiános imperatóres dícimus esse felíces ínterim spe, póstea reípsa futúros, cum id quod exspectámus advénerit.

Te Deum laudámus.

Scanné avec CamScanner

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Virgam virtútis emíssam ex Sion * suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Psalmi de Dominica.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hæreditátem géntium, veritátem et judícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

4 Collocávit * eum cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes gentes Dóminus.

5 Reges terræ * et omnes pópuli, príncipes et omnes júdices terræ laudent nomen Dómini.

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus, Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

THure nunc fument, resonéntque cantu
Templa : dejécto Lodoícus hoste,
Quærit ætérnas, tibi militándo,
Christe, corónas.

Hic tuos ardet reparáre cultus;
Hic gregem avúlsum male sacro ovíli
Reddit : hic armis tua christiánis
Sacra tuétur.

Béllicæ vixdum memor ille laudis,
Cuncta qui subdis, tibi servit uni :
Imperes unus, satis imperábit,
Te duce, princeps.

Stat tua fidens ope, fortiórque [ruínis;
Sumit ex ipsis ánimos
Jura dat victus, sedet inter ipsos
Arbiter hostes.

Summa laus summo super astra Patri :
Fílio compar hómini Deóque;
Nec tibi dispar, utriúsque sacri
Nexus amóris. Amen.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Bened. Ant. In tentatióne * invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias

Scanné avec CamScanner

nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Virgam virtútis.

Ad absolutionem Capituli.

Lectio brevis

STare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos; et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem. Tu autem Dómine.

AD TERTIAM

Ant. Inítium sapiéntiæ.

Capitulum Benedíctus, ut ad Laudes.

℟. br. Erudímini, reges, * Qui judicátis terram. Erudímini. ℣. Servíte Dómino in timóre. Qui judicátis. Glória Patri. Erudímini.

℣. Rex qui sperat in Dómino. ℟. In misericórdia Altíssimi non commovébitur.

AD SEXTAM

Ant. Dispérsit.

Capitulum Prov. 29

REX qui júdicat in veritáte páuperes, thronus ejus in ætérnum firmábitur.

℟. br. Rex qui sperat * In Dómino. Rex qui sperat. ℣. In misericórdia Altíssimi non commovébitur. In Dómino. Glória Patri. Rex.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ. ℟. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini.

AD NONAM

Ant. Reges terræ.

Capitulum Eccli. 47

STare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos; et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

℟. br. Confiteántur tibi, Dómine, * Omnes reges terræ. Confiteántur. ℣. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini. Omnes reges. Glória Patri. Confiteántur.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi. ℟. Qui das salútem régibus.

IN II VESPERIS

Ant. et Capit. de Laud.; Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum omnes gentes.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

IE sancte, rursus, Ludovíce, prælia
Divína poscunt; tu crucis clavum tenens,
Speíque sacras ánchora fundans rates,
Moves tyránnis bella, Christo mílitas.

Vincis cadéndo : mors tibi victóriam
Aufert et addit : corpus hic palmæ tegunt
Nondum sepúltum : pro triúmpho cælitum
Sedes parántur, pro coróna sídera.

Tuus patérnæ rédditus terræ cinis
Regnum tuétur, dum throno præsens Dei
Ætérna regnans pascis inter lília,
Favénsque blando nostra cernis lúmine.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ, gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula. Amen.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Ad Magnif. Ant. Operátus est bonum, * et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Complet. de Dominica.

¶ Infra Octavam et in die Octava Añæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurr. cum suis ℟℟. de tempore, in II et III Nocturno pro singulis diebus assignantur propriæ.

Die 26 Augusti

De II die infra Octavam

S. Ludovici

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Lectio iv

Sermo 2 de S. Victore

GAudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico : Gau-

Scanné avec CamScanner

déte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo : in cælum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam; illic invítat ad glóriam : factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum : quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Sancta in manu extraneórum facta sunt : vasa glóriæ nostræ captíva abdúcta sunt : * Quæ erat líbera facta est ancílla : quo ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. ℣. Ascendérunt gentes super latitúdinem terræ, et circuiérunt castra sanctórum et civitátem diléctam. — Quæ.

Lectio v

HÆC dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus et lætémur in ea : introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Ludovícus, pósito córpore, tanto alácrior quanto expedítior, penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus : sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni? Nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, * Et in vínculis non derelíquit illum, et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. — Et in.

Lectio vi

O Miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios

Scanné avec CamScanner

et spiritáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Ludovíce, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eia ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Ipse est diréctus in pœniténtiam gentis, et * Tulit abominatiónes impietátis, et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Dei miníster in bonum, vindex in iram ei qui malum agit. — Tulit. Glória Patri. In diébus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-36

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 8 in Lucam

SOnus ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur : Nihil déderat pópulo Judæórum, unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? non mediocris ista est mna, quam supra múlier evangélica quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam. Dénique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplícia, id est, mýstica legis, et morália probitátis. ℟. Fecit quod erat bonum coram Dómino : non fuit símilis illi de cunctis régibus; adhæsit Dómino, * Et non recéssit a vestígiis ejus. ℣. Fecit mandáta ejus, unde et erat Dóminus cum eo. — Et non.

Lectio viii

UNde et Matthæus quinque talénta et duo talénta pósuit. In quinque taléntis ut sint morália, in duóbus utrúmque, mýsticum atque morále. Ita

Scanné avec CamScanner

quod número inférius, re ubérius. Et hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est, legis doctrínam; quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legis perítum in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt; non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fénebris, ália doctrínæ cæléstis usúra.

℟. Memória Ludovíci in compositiónem odóris facta opus pigmentárii : * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Ipse est diréctus divínitus ad pœniténtiam gentis. — In diébus. Glória Patri. In diébus.

Pro S. Zephyrino Papa et Mart. Lectio ix, ut in Brev.

AD LAUDES

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Bened. Ant. In tentatióne * invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Et fit Commem. S. Zephyrini :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Zephyrínum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Eclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis ac S. Justini Martyris.

Die 27 Augusti

S. Justini

Martyris

Commemoratio

In I Vesperis S. Josephi Calasanctii fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Operátus est bonum, et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúja.

Scanné avec CamScanner

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. (Qui tecum vivit.)

Deinde Commem. S. Justini Mart. :

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

DEus, cujus múnere sanctus Justínus puer fidem mirábili victória propugnávit : da infirmitáti nostræ ejus intercessióne virtútem; ut fidem, quam voce profitémur, ópere exsequámur. Per Dóminum.

Lectio ix

JUstíni Mártyris pássio in território Versaliénsi, loco qui dícitur Lúpara, ad kaléndas Augústi refértur in antiquíssimo Martyrológio, quod sancti Hierónymi nómine insignítum, jam ante sæculi séptimi finem passim descríbi cœpit in Ecclésiis. Hinc, inter ópera Bedæ Venerábilis, qui octávo sæculo flóruit, légitur carmen de Justíno Mártyre, in quo páriter pro certáminis loco villa antíqua, cui Lúparæ cognómen assignátur. Justíni púeri acta et genus martýrii obscúra perstitísse doléndum est. Ejus corpus humánum apud Lúparam, inde in magnam ecclésiam Beátæ Vírginis de Parísiis translátum est. Luctuósis autem Gálliæ tempóribus corpus sancti Justíni manus ímpiæ abstulérunt. Sed ejus memória usque in hanc diem in território Versaliénsi, et præsértim in Lúparæ ecclésia máxime cólitur, in qua, sicut et in monastério Corbéiæ Novæ in Saxónia, partículæ de ejus óssibus veneránturr.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Fit Commemoratio Octavæ S. Ludovici :

Ant. In tentatióne invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Scanné avec CamScanner

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

Deinde Commem. S. Justini Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio Deus, cujus múnere, ut supra.

Diebus 27, 28, 29 et 30 Augusti

Pro Commemoratione Octavæ

S. Ludovici

quæ fit ante Commemorationem Festi simplicis.

AD VESPERAS

Ant. Operátus est bonum, et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúja.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

AD LAUDES

Ant. In tentatióne invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Oratio Deus, qui beátum regem, ut supra.

Die 31 Augusti

B. Isabellæ Virginis

Commemoratio

In I Vesperis S. Raymundi Nonnati, post Commemorationem S. Rosæ Virg., fit Commem. Octavæ S. Ludovici :

Ant. Operátus est.

℣. Introíbo in domum.

Oratio Deus, qui beátum regem, ut supra.

Deinde Commem. B. Isabellæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde et regna.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Isabéllæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Lectio ix

BEáta Isabélla, génere illústris, clárior móribus, patrem hábuit Ludovícum Octávum, Francórum regem, matrem vero Blancham regínam, pietáte et sapiéntia in líberis educándis máxime laudábilem, qua áuspice, fratrémque sanctum Ludovícum imitáta, mundi oblectaménta a téneris annis contémpsit, et divínis lítteris orationíque dédita inter aulæ régiæ illécebras velut flos innocéntiæ crevit. Virginitátis amóre capta, núptias cum Conrádo Frideríci Imperatóris fílio iníre nóluit. Cúpiens autem Deo stríctius adhærére, post genitrícis óbitum, locum selégit apud flúvium Séquanam in Campolóngo, ibíque in cœnóbio a se fundáto religiósam duxit vitæ ratiónem, régulam secúndi Ordinis Patriárchæ Seráphici suo aptátam ab Urbáno quarto Monastério profféssa, quam per novem annos fidéliter servávit. Virtútibus ornáta, et meritórum plena divítiis, tandem ad prǽmium ætérnum a Christo sponso vocáta est anno millésimo ducentésimo septuagésimo, ætátis suæ quadragésimo quinto. Miráculis ac signis ante et post mortem illam a Deo illustrátam vétera pérhibent monuménta. Beátæ vero immemorábilis cultus a Leóne Décimo fuit recógnitus, atque ab áliis étiam summis Pontifícibus successíve auctus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Fit Commemoratio Octavæ S. Ludovici :

Ant. In tentatióne invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Oratio Deus, qui beátum regem, ut infra.

Deinde Commem. B. Isabellæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

GRáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Isabéllæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis

Scanné avec CamScanner

erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præced., S. Ægidii Abbatis, ac Ss. duodecim Fratrum Martyrum, ut infra.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 1 Septembris

In Octava S. Ludovici

Regis, Patr. diœces. Versaliensis

Duplex majus

IN I VESPERIS

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini, quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

REX summe regum, qui poténti númine,
Quo sunt creáta regna, nutu dívidis,
Dum thure fumant templa, voce persónant,
Audi profúsas regis in laudem preces.

Nascens in ipsa Ludovícus púrpura,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus;
Piæque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit ántequam ímperet.

Justi sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu;
Pietáte cælum flectit, aras éxcitat;
Deóque templa, tecta nudis érigit.

Mox christiáni serus ultor sánguinis,
Eménsus æquor, inque littus bárbarum
Vexílla pandens, urget armis ímpios,
Unóque vitam pro Deo pacíscitur.

Sit Trinitáti sempitérna glória, [bilátio,
Honor, potéstas atque ju-
In unitáte, quæ gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula. Amen.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Magnif. Ant. Quæsívit Dóminus * sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Commem. præced. :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte, beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Ægidii Abbatis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Postea Commem. Ss. duodecim Fratrum Martyrum :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prémia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fidei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Rex summe regum, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

EX testaménto sancti Ludovíci regis. — Fili, hoc primum præcípio tibi ut Deum ex toto corde tuo et super ómnia díligas : hoc homo nisi fáciat, salvus esse non potest. Cave ne quid admíttas quod displíceat Deo, hoc est, ne pecces : decet enim extréma te pati pótius quam peccáre letháliter. Sic mala súscipe de manu Dei, ut súbditus

Scanné avec CamScanner

sis ei, et grátias agas; et intélligas peccásse te in Deum, hæcque nihilóminus cooperári tibi in bonum. Sic bona súscipe, ut húmilem te præbeas et gratum, neque ex his supérbus factus, aut áliter pejor, de dono Dei fácias contra Deum. Confitére sæpius peccáta tua sacerdóti; eúmque, cui peccáta confiteáris, sacerdótem élige, qui prudens sit et probus, teque illa certo dóceat quæ ágere te aut fúgere oportébit. Is esto, quem confessárii, consanguínei et amíci monére et argúere non métuant. Corde et ore devótus adsis offício Dei ecclesiástico, missæ præsértim a consecratióne Córporis Dómini; neque mutíre hic, aut cum álio cólloqui áudeas. In páuperes benígnus ac pius, eos réfice, et ádjuva ut póteris.

℟. Sancta in manu extraneórum facta sunt : vasa glóriæ nostræ captiva abdúcta sunt : * Quæ erat líbera facta est ancílla : quo ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. ℣. Ascendérunt gentes super latitúdinem terræ, et circuiérunt castra sanctórum et civitátem dilécta m. — Quæ.

Lectio v

GSto amans honóris et famæ tuæ. Nemo áudeat ea præsénte te loqui, quibus aut incitétur áliquis ad peccátum, aut altérius, sive abséntis, sive præséntis, fama lædátur. Ne sinas proférri quidquam minus pium in Deum, in Dei Matrem, in áliquem Sanctum aut Sanctam. Memor esto beneficiórum Dei; et cum res próspere cedent tibi, ei grátias sæpius age. Ut díviti sic páuperi redde unicuíque jus suum. Curam habe servórum tuórum; et quo tímeant te iídem et ament ut dóminum, æquum te illis, fácilem et íntegrum præbe. In omni causa inquíre diligénter veritátem; et, tam pro te quam contra te, quod æquum erit pronúntia. Si admoneáris altérius esse quod tenes, sive ablátum a te, sive a pátribus tuis relíctum, re bene compérta, statim redde.

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, * Et in vínculis non derelíquit illum, et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. — Et in vínculis.

Scanné avec CamScanner

Lectio vi

HOnóra patrem tuum et matrem tuam : ne prætéri mandáta eórum, et iram illórum métue. Benefícia ecclesiástica si cónferes, ea confer viris probis et íntegræ vitæ; quos ut notióres hábeas, sapiéntium et piórum hóminum consílio útere. Advérsus hóminem christiánum ne bellum geras, nisi adhíbito prius matúre consílio, et ex necessária causa. Cum bellum geris, cave ne damnum ullum inferátur ecclésiis et ecclesiásticis viris. Súbditis tuis, si pugnent inter se, pacem statim ímpera. Intuére sæpius in balívos, præpósitos et álios minístros tuos, ne desint offício suo; et si quid ab eis peccátum fúerit, córripe. Sis devótus et obédiens matri nostræ Románæ Ecclésiæ et Summo Pontífici, tamquam patri spirituáli. Cura ne dominétur in regno tuo peccátum áliquod grave, máxime autem blasphémia et hæresis : si dominári jam cœpit, insúrge et expélle. Domum tuam sic omnem compóne, ne sumptus immódici sint et iníqui. Rogo te, fili, meminísse mei et ánimæ meæ, ubi áderit extrémus dies. Curábis tunc commendári me Deo sacrifício missæ, précibus, oratiónibus, eleemósynis, et áliis opéribus bonis quæ toto regno tuo fient; et vocábis me in communiónem et partem benefactórum tuórum ómnium. Benedíco tibi, fili, et precor tibi quidquid potest precári fílio pater.

℟. Ipse est diréctus in pœniténtiam gentis, et * Tulit abominatiónes impietátis, et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Dei miníster in bonum, vindex in iram ei qui malum agit. — Tulit. Glória Patri. In diébus.

In III Noeturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-36

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Comm. in Lucam, Lib. 8

DOminus dicit : Quare non dedísti pecúniam meam ad mensam? Non nostræ, sed suæ pecúniæ quærit usú-

Scanné avec CamScanner

ram. Unus intra terram abscondísse se dicit, quod ratiónem quæ ad imáginem et similitúdinem Dei data est nobis, stúdio voluptátis óbruit et tamquam in fóvea carnis abscóndit. De áliis silétur, qui quasi pródigi debitóres, quæ accéperant perdidérunt. In duóbus illis pauci sunt qui per duas vices ad cultóres víneæ destináti sunt, in réliquis omnes Judæi.

℟. Fecit quod erat bonum coram Dómino : non fuit símilis illi de cunctis régibus; adhæsit Dómino, * Et non recéssit a vestígiis ejus. ℣. Fecit mandáta ejus, unde et erat Dóminus cum eo. — Et.

Lectio viii

QUam comparatiónem Matthæus étiam vóluit nobis aptáre, quod símiliter ut dives qui pecúniam suam non impártit paupéribus, ita étiam qui doctrínæ suæ grátiam non dívidit imperítis, docére cum possit, haud mediócris reus est culpæ. De quo quóniam in libris de fide scriptis díximus, transcúrrere mélius fuit. Civitátes autem decem esse quæ possunt, nisi forte ánimæ quibus jure præpónitur, qui pecúniam Dómini et illa elóquia casta, probáta sicut argéntum, méntibus hóminum fœneráverit? Nam sicut Jerúsalem dícitur ædificáta sicut cívitas, ita sunt ánimæ pacíficæ. Et sicut ángeli præsunt, ita et hi qui vitam merúerint angelórum.

℟. Memória Ludovíci in compositiónem odóris facta opus pigmentárii : * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Ipse est diréctus divínitus ad pœniténtiam gentis. — In. Glória Patri. In.

Pro S. Ægidio Abbate
Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus, Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

THure nunc fument, resonéntque cantu
Templa : dejécto Lodoícus hoste,
Quærit ætérnas, tibi militándo,
Christe, corónas.

Hic tuos ardet reparáre cultus; [sacro ovíli
Hic gregem avúlsum male
Reddit : hic armis tua christiánis
Sacra tuétur.

Scanné avec CamScanner

Béllicæ vixdum memor ille laudis,
Cuncta qui subdis, tibi servit uni :
Imperes unus, satis imperábit.
Te duce, princeps.

Stat tua fidens ope, fortiórque [ruínis;
Sumit ex ipsis ánimos
Jura dat victus, sedet inter ipsos
Arbiter hostes.

Summa laus summo super astra Patri;
Fílio compar hómini Deóque;
Nec tibi dispar, utriúsque sacri
Nexus amóris.
Amen.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Bened. Ant. In tentatióne invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Et fit Commem. S. Ægidii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis commendet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Ss. XII Fratrum Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ad absolutionem Capituli : Lectio brevis Stare fecit, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in cor-

Scanné avec CamScanner

de regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

℟. br. Erudímini, reges, * Qui judicátis terram. Erudímini. ℣. Servíte Dómino in timóre. Qui judicátis. Glória Patri. Erudímini.

℣. Rex qui sperat in Dómino. ℟. In misericórdia Altíssimi non commovébitur.

AD SEXTAM

Capitulum Prov. 29

REX qui júdicat in veritáte páuperes, thronus ejus in ætérnum firmábitur.

℟. br. Rex qui sperat * In Dómino. Rex qui sperat. ℣. In misericórdia Altíssimi non commovébitur. In Dómino. Glória Patri. Rex.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ. ℟. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 47

STare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos; et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

℟. br. Confiteántur tibi, Dómine, * Omnes reges terræ. Confiteántur. ℣. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini. Omnes reges. Glória Patri. Confiteántur.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi. ℟. Qui das salútem régibus.

IN II VESPERIS

Añæ et Psalmi de Feria.

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus, Deus patrum nostrórum, quí dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

TE sancte, rursus, Ludovíce, prælia
Divína poscunt; tu crucis clavum tenens,
Speíque sacras ánchora fundans rates,
Moves tyránnis bella, Christo mílitas.

Vincis cadéndo : mors tibi victóriam
Aufert et addit : corpus hic palmæ tegunt
Nondum sepúltum : pro triúmpho cælitum
Sedes parántur, pro coróna sídera.

Scanné avec CamScanner

Tuus patérnæ rédditus terræ cinis
Regnum tuétur, dum throno præsens Dei
Ætérna regnans pascis inter lília,
Favénsque blando nostra cernis lúmine.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ, gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Ad Magnif. Ant. Operátus est bonum, * et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Et fit Commem. seq. et S. Stephani Regis, Conf., ut infra.

Die 2 Septembris

Bb. Joannis Mariæ du Lau, Francisci Josephi et Petri Ludovici de la Rochefoucauld, Pontificum, ac Sociorum Martyrum

Duplex majus

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

DEus, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde, ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani Regis, Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Scanné avec CamScanner

Oratio

CONcéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

LAbénte sæculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, ejúsque minístros cívilem cleri constitutiónem fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Centum nonagínta unus viri, fidelitátem ac reveréntiam erga sanctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, ab usurpatório civitátis gubérnio, persecutiónem patiéntes, in quátuor cárceres violénter conjécti, miris pietátis et caritátis exercítiis ad atrox mortis supplícium sese præparántes, primis diébus septémbris ejúsdem anni, ibídem illústri martýrio occubuérunt. In convéntu Carmelitárum discalceatórum, Joánnes María du Lau, Archiepíscopus Arelaténsis, simúlque duo fratres Francíscus Joséphus et Petrus Ludovícus de la Rochefoucauld, unus Bellovacénsis, alter vero Santonénsis Epíscopus, exémplum et solátium in advérsis dedérunt suis sóciis, quorum plúrimi, ad vitándas persecutiónes quibus erant obnóxii, ex ómnibus Gálliæ pártibus Parísios confúgerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

PAriter in Seminário Sancti Firmíni, venerábilis rector Ludovícus Joséphus François, sancti Vincéntii a Paulo discípulus, plurésque doctóres et sacrárum Facultátum magístri, solámen animúmque sacerdótibus fidélibus áddere non cessárunt. In Abbátia Sancti Germáni a Pratis, et in ergástulo dicto « La Force », postrémis mensis augústi diébus, áliquot

Scanné avec CamScanner

presbýteris numerósis commíxti sunt laíci; quibus illi ad imminéntem jam necem consolatiónes atque subsídia sacræ religiónis conférre studuérunt. Inter illos sacerdótes speciáli mentióne dignus est párochus ecclésiæ Sancti Joánnis *en Grève*, Marcus Ludovícus Royer, parochórum civitátis decánus. Hic, postquam sacram absolutiónem céteris dedísset, primus impétitus, et apertíssime prófitens se numquam scelestíssimum juraméntum præstitísse, intrépido ánimo supplícium tolerávit.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vi

SErvórum Dei relíquiæ, atrócem in modum violátæ omníque vestiménto spoliátæ, in commúnes tumbas, divérsis in locis jam ántea parátas, projéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum, cujus templum jam dudum ecclésia Mártyrum vulgo dicebátur, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, plura ossa invénta sunt in púteo obstrúcto, non longe ab Oratório beátæ Maríæ Vírginis, in quem injéctæ fúerant quædam víctimæ in horto necátæ. Curánte Geórgio Archiepíscopo, inde in cryptam ecclésiæ transláta sunt, ubi religióse fuérunt asserváta. In pariétibus vero legúntur inscrípta ómnium Servórum Dei nómina qui in prædícto convéntu sunt percúlsi. Hic autem locus, sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martýrii, a multis peregrínis frequentátur. Illos omnes invíctos Christi Mártyres Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vicésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mart. 1 loco.

Scanné avec CamScanner

Pro S. Stephano Rege, Conf. Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEus, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde, ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Stephani :

Ant. Euge, serve bone, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

COncéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

Extra Urbem Versaliensem :

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præcedentis et S. Stephani.

Pro clero Urbis Versaliensis :

Vesperæ de sequenti sine Commemoratione, ut in parte Autumnali habetur.

Die 3 Septembris

Extra Urbem Versaliensem :

S. Juliani Brivatensis

Martyris Duplex majus

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

DEus, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde, ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Stephani :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

CONcéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

S. Gregorius Turonensis de miraculis S. Juliani Lib. 2, Cap. 1 et 2

INclytus martyr Juliánus, qui, Viennénsi ortus in urbe, Arvérnis datus est martyr, igne divíno succénsus nihil áliud concupívit, nihil tota mente desiderávit nisi, spretis mundi illécebris, justítiæ viam expedítus irréperet. Cum esset apud beatíssimum Ferréolum, jam tunc Martýrii amóre flagrans, relíctis divítiis ac propínquis, Arvérnum advénit territórium. Sed nec hoc sine divíno mandáto perégit, cum tunc persecútio in Viennénsi urbe fervéret. Légerat enim Dóminum prædixísse : Si vos persecúti fúerint in ista civitáte, fúgite in áliam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum eo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Scanné avec CamScanner

Lectio v

SÆviénte persecutióne ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróris Noéniæ colebántur, advénit, et cum ínsequi adversários sensísset, a vídua quadam se occultári deprecabátur; sed mox persecutóribus occúrrens : Nolo, inquit, diútius morári in hoc sæculo, quia tota ánimi aviditáte Christum sítio. Hæc loquénte Juliáno, edúcunt carnífices vibránti déxtera frámeam, et, decíso cápite, in tres, ut ita dicam, partes martyr gloriósus divíditur. Nam caput Viénnam defértur, artus Briváte condúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur. Senes quoque, qui sanctum corpus mancipavérunt sepultúræ, ita redintegráti sunt, ut in senectúte summa pósiti, tamquam júvenes haberéntur. Caput quoque ejus Ferréolus martyr accépit completóque certámine, tam hujúsce membra quam illíus caput in uníus túmuli receptáculo collocáta sunt.

℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

EX témpore autem sancti Germáni Autissiodoréns is antístitis, et ejus senténtia quinto Kaléndas mensis séptimi celebrári consuévit sancti mártyris dies natalítius. Constat vetéribus chrónicis, ecclésiam sancto Juliáno dedicátam jam sæculo décimo exstitísse in pago ubi póstea cívitas Versaliénsis cóndita fuit. Hæc ecclésia, áliquot canonicórum curæ crédita, tandem sequéntibus sæculis dirúta est, eo círciter témpore quo cívitas innúmeris ædibus, et regáli præsértim palátio nobilitánda assurgébat. Non procul a véteri sancti Juliáni paróchia, anno millésimo septingentésimo quadragésimo tértio, erécta est sub nómine, et patrocínio sancti Ludovíci regis ámplior basílica, quæ nunc diœcéseos Versaliénsis éminet cathedrális.

℣. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

Scanné avec CamScanner

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolíte arbitrári, de Communi 3 loco.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti Dominica, Commem. præcedentis, ut in parte Autumnali notatur.

Die 3 Septembris

In Civitate

S. Juliani Brivatensis

Patr. Civit. Versaliensis

Martyris

Duplex I classis

cum Octava communi

Omnia ut notatur in parte Autumnali.

Scanné avec CamScanner

INDEX OFFICIORUM

FESTA MAJI

28 S. Germani Ep. et Conf., *duplex* 9
30 S. Joannæ de Arc Virg., Patronæ minus principalis Galliæ, *duplex II classis* 14
31 Beatæ Mariæ Virginis omnium gratiarum mediatricis, *duplex majus*. Commemoratio Ss. Cantiani et Soc. Mart. 24

FESTA JUNII

1 S. Probatii Conf., *simplex* 34
3 S. Clotildis Vid., *duplex* 35
7 B. Annæ a S. Barthol. Virg., *simplex* 38

FESTA JULII

11 S. Theobaldi, Abb., *duplex* 39
17 S. Arnulphi Ep. et Mart., *duplex* 42
19 S. Vincentii a Paulo Conf., *duplex majus* 44
21 S. Clari Mart., *duplex* 56
22 S. Mariæ Magdalenæ Pœnit., *duplex majus* 61
24 Com. omnium Ss. Episc. Diœc. Versal., *duplex majus* . . 61

FESTA AUGUSTI

4 S. Exuperii Ep. et Conf. *Commemoratio* 71
7 S. Ionii Mart., *duplex* 72
9 S. Joannis Mariæ Vianney, Conf., *duplex* 75
13 S. Radegundis Reg. Vid., *duplex* 81
15 Assumptionis B. M. V. Pro Commem. Voti Ludovici XIII . 84
16 S. Rochi Conf. *Commemoratio* 84
19 S. Joannis Eudes Conf., *duplex* 85
25 S. LUDOVICI ECCLESIÆ CATHEDRALIS TITULARIS ET TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, *duplex I classis* cum Octava communi 88
26 De II die infra Octav. S. Ludovici, *semiduplex* 98
27 S. Justini Mart. *Commemoratio* 101
28 Pro Commem. Octav. S. Ludovici 103
29 » » » » 103
30 » » » » 103
31 B. Isabellæ Virg. *Commemoratio* 103

Scanné avec CamScanner

FESTA SEPTEMBRIS

1 Oct. S. Ludovici, *duplex majus* 105
2 BB. Joannis Mariæ du Lau, Francisci Josephi de la Rochefoucauld, et Petri Ludovici de la Rochefoucauld, Pontificum, ac Sociorum, Martyrum, *duplex majus* . 112
3 S. Juliani Brivatensis Patroni Civit. Versaliensis Martyris .
In Diœcesi : *duplex majus* 115
In Civitate : *Duplex I classis* cum Octava communi . . . 118

Scanné avec CamScanner

INDEX LOCORUM

DE QUIBUS FIT MENTIO IN OFFICIIS PROPRIIS

ECCLESIÆ VERSALIENSIS

PARS ÆSTIVA

ABLINGUA, Ableiges, c. de Marines (S.-et-O.).
ABULA, Avila (Espagne).
ABULENSIS, d'Avila.
ALAMANNI, les Allemands, les Germains.
ALBIGENSES, les Albigeois.
ANTUERPIA, Anvers.
AQUILINA SILVA, la forêt d'Yveline (S.-et-O.).
AQUITANIA, l'Aquitaine, anc. prov. de Gaule.
AQUÆ TARBELLICÆ, Dax (Landes).
ARGENTOLIUM, Argenteuil (S.-et-O.).
ARGENTONIUS, Argentan (Orne).
ARNULPHUS (SANCTUS), Saint-Arnoult (S.-et-O.).
ARPAJONIUM, Arpajon (S.-et-O.).
ARS, c. de Trévoux (Ain).
ARVERNIA, l'Auvergne.
ARVERNUS, habitant de l'Auvergne.
ATHENIENSIS, d'Athènes.
AUGUSTODUNUM, Autun (Saône-et-Loire).
AUGUSTODUNENSIS, d'Autun.
AURELIA, Aurelianum, Orléans.
AUTISSIODORENSIS, d'Auxerre.
AUTISSIODORUM, Auxerre (Yonne).

BAIOCÆ, Bayeux (Calvados).
BAIOCENSIS, de Bayeux.
BELLICENSIS, de Belley (Ain).
BELLOVACUM, BELVACUM, Beauvais (Oise).
BELLOVACENSIS, de Beauvais.
BITURICENSIS, de Bourges.
BRITANNIA MINOR, la Bretagne.
BRIVAS, Brioude (Haute-Loire).
BRIVATENSIS, de Brioude.
BURGUNDI, les Bourguignons.

CADOMENSIS, de Caen (Calvados).
CADOMUM, Caen.
CÆSARAUGUSTA, Saragosse (Espagne).
CÆSAROBURGUM, Cherbourg (Manche).

Scanné avec CamScanner

Campus-Longus, Longchamps, près Paris.
Campania, la Champagne.
Carnutum, Chartres (Eure-et-Loir).
Carnutensis, de Chartres.
Carthago, Carthage.
Carthaginensis, de Carthage.
Castellionis, Châtillon, près Paris.
Castrensis, de Châtres, auj. Arpajon (S.-et-O.).
Castrum, Châtres (Arpajon).
Castrum Cainonense, Chinon (Indre-et-Loire).
Cellæ, Chelles (Seine-et-Marne).
Cenomanensis, du Mans, du Maine.
Cenomanum, le Mans (Sarthe).
Cisterciensis, de Citeaux.
Cistercium, Citeaux (Côte d'Or).
Clarus-Fons, Clairefontaine, c. de Dourdan (S.-et-O.).
Clippiacum, Clichy, près Paris.
Clodoaldus (Sanctus), Saint Cloud (Seine-et-Oise).
Cluniacencis, de Cluny.
Cluniacum, Cluny (Saône-et-Loire).
Compendium, Compiègne (Oise).
Confluentium Isaræ et Sequanæ, Conflans-Sainte-Honorine, au confluent de l'Oise et de la Seine (S.-et-O.).
Constantia, Constance (Grand-Duché de Bade).
Constantiensis, de Constance.
Corbeiæ Novæ in Saxonia, la Nouvelle Corbie, en Saxe.
Corbolium, Corbeil (S.-et-O.).
Costum fluviolum, nunc Rivulum sancti Clari, le ruisseau nommé Coste ou ru de Saint-Clair, près de l'abbaye de Mandun (Manche).
Cyprum, l'île de Chypre, dans la Méditerranée.

Damiata, Damiette.
Dardilly, c. de Limonest, arr. de Lyon (Rhône).
Dionysius (Sanctus) prope Parisios, Saint-Denys, près de Paris.
Domremensi, Domrémy, arr. de Neufchâteau (Vosges).
Durdanum, Dourdan (S.-et-O.).

Ebroicum, Evreux (Eure).
Ebroicensis, d'Evreux.
Ecully, c. de Limonest, arr. de Lyon (Rhône).
Esquilinus Mons, le mont Esquilin, l'une des collines de Rome.
Estorciacum, Etréchy (S.-et-O.).

Fossæ, Fosses, c. de Luzarches (S.-et-O.).
Frennevilla, Frenneville, paroisse de Valpuiseaux, c. de Milly (S.-et-O.).
Frisingiæ, Frisinge (Bavière).
Frisones, les Frisons, habitants de la Frise (Hollande et Prusse rhénane).

Scanné avec CamScanner

Gaunissa, Gonesse (S.-et-O.).
Germanus in Lida (Sanctus) vel in silva | Saint-Germain-en-Laye (S.-et-O.).
Gevesiacum, Juvisy, (S.-et-O.).
Guillervallis, Guillerval, c. de Méréville (S.-et-O.).

Hibernia, l'Irlande.

Ionius (Sanctus), Saint-Yon, c. de Dourdan (S.-et-O.).
Itta, l'Epte (affluent de la Seine qui sépare les départements de l'Eure et de la Seine-et-Oise).

Landis, (Monasterium in), abbaye de Saint-Rémy des Landes, paroisse de Sonchamp, c. de Saint-Arnoult, (S.-et-O.).
Longus-Pons, Longpont, c. de Longjumeau (S.-et-O.).
Lotharingia, la Lorraine.
Lugdunensis, de Lyon.
Lupara, Louvres-en-Parisis (S.-et-O.).

Mandanensis, l'abbaye de Mandun, fondée en 565, à sept lieues de Cherbourg (auj. paroisse de Nègreville (Manche).
Marliacum, Marleium, Marly-le-Roi (S.-et-O.).
Massilia, Marseille.
Matisconensis, de Mâcon (Saône-et-Loire).
Melodunum, Melun (Seine-et-Marne).
Melodunensis, de Melun.
Mons-Lehericus, Montlhéry, c. d'Arpajon (S.-et-O.).
Mons-Melianus, Montmélian, paroisse de Saint-Vit, c. de Luzarches (S.-et-O.).
Mons-Pessulanus, Montpellier (Hérault).
Mons-Regalis prope Panormum, Monreale près de Palerme (Sicile).
Mons-Morenciacum, Montmorency (S.-et-O.)

Neustria, Neustrie, centre et ouest de la France.

Olchestria, Rochester, ville d'Angleterre, patrie de St-Clair.

Paladellus, Palleau, paroisse de Ballancourt, c. de Corbei (S.-et-O.).
Palatiolum, Palaiseau (S.-et-O.).
Panormus, Palerme (Sicile).
Picardia, la Picardie.
Pisæ, Pise, ville d'Italie.
Pisciacum, Poissy (S.-et-O.).
Pisciacensis, de Poissy.
Podium, Pouy, arr. de Dax (Landes).
Pontisara, Pontoise (S.-et-O.).

Ravenna, Ravenne.
Remi, Reims.

Scanné avec CamScanner

Remensis, de Reims.
Rhotomagus, Rouen.
Rhotomagensis, de Rouen.
Ri, Ri, c. de Putanges, arr. d'Argentan (Orne).

Sagiensis, de Séez.
Sagium, Séez (Orne).
Sanctum Deodatum, Saint-Dié (Vosges).
Savara, Sèvres (S.-et-O.).
Scotia, l'Ecosse.
Senones, Sens (Yonne).
Senonensis, de Sens.
Sicilia, la Sicile.
Spedoneto-villa, Epône, c. de Mantes (S.-et-O.).
Stampæ, Etampes (S.-et-O.).
Syrtes (ad) Golfes de la Méditerranée, sur les côtes de Tripoli et de Tunis.

Tamisis, la Tamise, rivière d'Angleterre.
Tolosa, Toulouse.
Tullensis, de Toul (Meurthe-et-Moselle).
Tullum, Toul.
Tunetum, Tunis.
Turcæ, les Turcs.
Turones, Tours.

Urbia, ...

Valles-Cernai, les Vaux de Cernay, paroisse de Cernay-la-Ville (S.-et-O.).
Vallis-Sancti-Germani, le Val-Saint-Germain, c. de Dourdan (S.-et-O.).
Vallis-Colorum, Vaucouleurs, chef-lieu de canton, arrond. de Commercy (Meuse).
Vallis-Hellandi, Vauhallan, c. de Palaiseau (S.-et-O.).
Vallis-Putiolorum, Valpuiseaux, c. de Milly (S.-et-O.).
Vallis-Sublignea, Souligné, c. de Ballon (Sarthe).
Vicus-Novus, Vigneux, c. de Villeneuve-Saint-Georges (S.-et-O.).
Vienna, Vienne (Isère).
Viennensis, de Vienne.
Villa-Conai, Villeconin, c. d'Etampes (S.-et-O.).
Villa-Nova Sancti Georgii, Villeneuve-Saint-Georges (S.-et-O.).
Villa-Pyrosa, Villepreux, c. de Marly (S.-et-O.).
Vitriacum, Vitry-en-Champagne (Marne).
Vitus (Sanctus), Saint-Vit, c. de Luzarches (S.-et-O.).
Vulcassinus Pagus, le Vexin (Oise, Eure, Seine-Inférieure et S.-et-O.).

Imprimé en Belgique par la Société S. Jean l'Évangéliste, Desclée & Cie, Tournai. — 6070

Scanné avec CamScanner

IN FESTO
EUCHARISTICI CORDIS JESU

Duplex majus

In I Vesperis

Ant. 1 Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Psalmi ut in I Vesperis Festi Ssmi Corporis Christi.

2 Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

3 Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

4 O quam bonus * et suávis est, Dómine, spíritus tuus, allelúja.

5 Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Ephes. 3, 8-9

Fratres : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit.

Hymnus

Cor dulce Jesu, quis tuum
In nos amórem flámmeum,
Quis dicat inde spléndida
Enáta nobis múnera ?

Enárret hæc Apóstolus,
Cui ter beáto cóntigit
Super Magístri péctore
Cœnántis acquiéscere.

Optáta, Jesus díxerat,
Illúcet hora, víctimam
Qua sponte me, pro sóntibus
Vitam datúrus, ímmolem.

Ampléctar ultro víncula,
Flagélla, serta spínea,
Clavos et, ima péctoris
Transverberántem lánceam.

Sed próripit me lóngius
Amóris ardor ; pérsequar,
Cælo recéptus, ínfimis
His immorári sédibus.

Sacris in aris ínteger
Homo Deúsque cándida

Scanné avec CamScanner

Sub panis umbra déli-
tens
Solábor Hevæ fílios.

Cor dulce Jesu, mú-
nera
Tot unde nobis pró-
fluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

In I Vesperis

℣. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, allelúja. ℟. Implens cibo et lætítia corda nostra, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Cœnántibus autem eis, * accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, deditque discípulis suis, et ait : Accípite, et comédite : hoc est corpus meum.

In II Vesperis

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce, ego * vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi : dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quæsumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Completorium de Dominica.

Ad Horas minores conclusio Hymnorum erit sequens :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ad Matutinum

Invit. Cor Jesu Sanctíssimam Eucharístiam nobis donans, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Cor dulce Jesu, Pábuli
Invéntor Eucharísti-
ci,
Salve, piásque súscipe
Ex orbe toto grátias.

O finis expers Cáritas,
Cui páruit poténtia
Interminata, máximum
Ut éderet miráculum.

Nostris in aris óccupat
Divínus Hospes céllulam
Vel último mortálium
Noctes diésque pérviam.

Scanné avec CamScanner

Hinc gratiárum pérpetem
Effúndit Ille cópiam ;
Admíttit omnes, néminem
Abíre tristem sústinet.

Instrúxit et Convívium,
Dapémque nobis cælitem
Sui minístrat Córporis,
Suíque potum Sánguinis.

Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis prófluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Quid est homo, * quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Psalmus 8

Dómine, Dómine noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra, * qui extulísti majestátem tuam super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium parásti laudem contra adversários tuos, * ut compéscas inimícum et hostem.

Cum vídeo cælos tuos, opus digitórum tuórum, * lunam et stellas quæ tu fundásti :

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quod curas de eo ? —

Et fecísti eum paulo minórem Angelis, * glória et honóre coronásti eum ;

Dedísti ei potestátem super ópera mánuum tuárum, * ómnia subjecísti pédibus ejus :

Oves et boves univérsos, * insuper et pécora campi,

Vólucres cæli et pisces maris : * quidquid perámbulat sémitas márium.

Dómine, Dómine noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Ant. Quid est homo, quod memor es ejus ? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Ant. Mittit nobis Dóminus * auxílium de sancto : et de Sion tuétur nos.

Psalmus 19

Exáudiat te Dóminus die tribulatiónis, * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de Sancto, * et de Sion te susténtet.

Memor sit ómnium oblatiónum tuárum, * et

Scanné avec CamScanner

holocáustum tuum hábeat gratum.

Tríbuat tibi quæ optat cor tuum, * et ímpleat omne consílium tuum.

Lætémur de victória tua, et in nómine Dei nostri extollámus vexílla ; * ímpleat Dóminus omnes petitiónes tuas!—

Jam novi Dóminum tribuísse victóriam uncto suo, * exaudísse eum de cælo sancto suo fortitúdine victrícis déxteræ suæ.

Illi cúrribus et isti equis, * nos autem nómine Dómini, Dei nostri, fortes sumus.

Illi collápsi sunt et cecidérunt, * nos vero stamus et permanémus. —

Dómine, victóriam tríbue regi, * et exáudi nos, quo die te invocámus.

Ant. Mittit nobis Dóminus auxílium de sancto : et de Sion tuétur nos.

Ant. Misericórdia Dómini * subséquitur nos ómnibus diébus vitæ nostræ.

Psalmus 22

Dóminus pascit me : nihil mihi deest ; * in páscuis viréntibus cubáre me facit.

Ad aquas, ubi quiéscam, condúcit me ; * réficit ánimam meam.

Dedúcit me per sémitas rectas * propter nomen suum.

Etsi incédam in valle tenebrósa, * non timébo mala, quia tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus : * hæc me consolántur. —

Paras mihi mensam * spectántibus adversáriis meis ;

Inúngis óleo caput meum ; * calix meus ubérrimus est.

Benígnitas et grátia me sequéntur * cunctis diébus vitæ meæ,

Et habitábo in domo Dómini * in longíssima témpora.

Ant. Misericórdia Dómini subséquitur nos ómnibus diébus vitæ nostræ.

℣. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, allelúja. ℟. Implens cibo et lætítia corda nostra, allelúja.

Lectio j

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios

Cap. 1, 3-8

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictió-

Scanné avec CamScanner

ne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis, in omni sapiéntia et prudéntia.

℟. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * Visitávit nos óriens ex alto. ℣. Quid est homo quia magníficas eum ? aut quid appónis erga eum Cor tuum ? Visitávit.

Lectio ij Cap. 3, 14-21

Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divitias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis compreheńdere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum : scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellégimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis : ipsi glória in eclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sæculi sæculórum.

℟. Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus, * Annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Cantáte ei et psállite ei : narráte ómnia mirabília ejus. Annuntiáte.

Lectio iij Cap. 4, 1-6

Obsecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus

Scanné avec CamScanner

spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis.

℟. Unus panis, unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane participámus. ℣. Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos. Omnes. Glória Patri. Omnes.

In II Nocturno

Ant. Quid bonum ejus * est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines ?

Psalmus 41

Quemádmodum desíderat cerva rivos aquárum, * ita desíderat ánima mea te, Deus.

Sitit ánima mea Deum, Deum vivum : * quando véniam et vidébo fáciem Dei ?

Factæ sunt mihi lácrimæ meæ panis die ac nocte, * dum dicunt mihi cotídie : « Ubi est Deus tuus ? »

Illud recórdor et effúndo ánimum meum intra me : quómodo incésserim in turba, * præcésserim eos ad domum Dei,

Inter voces exsultatiónis et laudis, * in cœtu festívo.

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me ?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

In me ipso ánima mea deprímitur : * ídeo recórdor tui ex terra Jordánis et Hermon, ex monte Misar.

Gurges gúrgitem vocat cum fragóre cataractárum tuárum : * omnes fluctus et undæ tuæ super me transiérunt.

Per diem largiátur Dóminus grátiam suam, * et nocte canam ei, laudábo Deum vitæ meæ.

Dico Deo : Petra mea, cur oblivísceris mei ? * Quare tristis incédo, ab inimíco oppréssus ?

Ossa mea frangúntur, dum insúltant mihi adversárii mei, * dum dicunt mihi cotídie : « Ubi est Deus tuus ? »

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me ?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

Scanné avec CamScanner

Ant. Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines ?

Ant. Audíte, * audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra.

Psalmus 83

Quam dilécta habitátio tua, Dómine exercítuum ! * desíderat, languens concupíscit ánima mea átria Dómini ;

Cor meum et caro mea * exsúltant ad Deum vivum.

Etiam passer invénit domum, * et hirúndo nidum sibi, ubi ponat pullos suos :

Altária tua, Dómine exercítuum, * rex meus et Deus meus ! —

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine, * perpétuo laudant te.

Beátus vir, cujus auxílium est a te, * cum sacra itínera in ánimo habet :

Transeúntes per vallem áridam, fontem fácient eam, * ac benedictiónibus véstiet eam plúvia prima.

Procédent de róbore in robur ; * vidébunt Deum deórum in Sion.

Dómine exercítuum, audi oratiónem meam ; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Clípeus noster, áspice, Deus, * et réspice fáciem uncti tui.

Vere, mélior est dies unus in átriis tuis * quam álii mille ;

Consístere malo in límine domus Dei mei, * quam morári in tabernáculis peccatórum.

Nam sol et clípeus est Dóminus Deus : * grátiam et glóriam largítur Dóminus,

Non negat bona eis * qui ámbulant in innocéntia.

Dómine exercítuum, * beátus homo qui confídit in te.

Ant. Audíte, audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra.

Ant. Non esúrient, * neque sítient ámplius, quóniam Agnus dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

Psalmus 86

Fundatiónem suam in móntibus sanctis díligit Dóminus : * portas Sion magis quam ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa prædicántur de te, * cívitas Dei ! —

Accensébo Rahab et Babel coléntibus me : * ecce, Philistæa et Tyrus populúsque Æthíopum : hi nati sunt illic.

Et de Sion dicétur : «Virítim omnes sunt nati in ea, * et ipse firmávit eam Excélsus». —

Dóminus scribet in libro populórum : * « Hi nati sunt illic ».

Et cantábunt, dum chorum ducent : * « Omnes fontes mei sunt in te ».

Ant. Non esúrient, neque sítient ámplius, quóniam Agnus dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, allelúja. ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos, allelúja.

Lectio iv

Sermo sancti Alfónsi Maríæ Epíscopi

Ex Novendiali

O si nobis datum esset amórem comprehéndere, qui in Corde Jesu ardet erga nos ! Adeo nos diléxit ut, si omnes hómines, ángeli et sancti vires suas ad amándum conjúngerent, ne millésimam quidem partem attíngerent dilectiónis, qua Ipse nos complécti-tur. Jesu amor nostrum erga nosmetípsos amórem in imménsum súperat ; præter omnem modum nos diléxit : « Dicébant excéssum ejus quem completúrus erat in Jerúsalem ». Deus quum sit, perpétua nos caritáte diléxit, ita ut nullum fúerit ab ætérno moméntum quo de nobis non cogitárit et unumquémque nostrum non amáverit : « Caritáte perpétua diléxi te ». Amóre nostri homo factus, vitam ærúmnis plenam mortémque crucis sibi elégit, nostram felicitátem próprio honóri, própriis cómmodis, própriæ vitæ præpónens omnibúsque renúntians ad suum nobis amórem demonstrándum. Hæc autem nonne caritátem produnt in excéssus proruéntem, qui ángelos et cælites omnes per totam stupefácient æternitátem ?

℟. In dilectióne sua, et indulgéntia sua Dóminus redémit pópulum suum, et portávit eos, * Et elevávit eos cunctis diébus sæculi. ℣. Expándit alas suas atque portávit in húmeris suis. Et.

Lectio v

Idem ille amor cómpulit eum ut nobíscum permanéret in Sanctíssimo

Scanné avec CamScanner

Sacraménto tamquam in régio caritátis sólio. Ibi enim degit sub spécie panis, tabernáculo inclúsus, sua majestáte spoliátus, immóbilis et sénsuum usu destitútus, ita ut nihil ibi ágere videátur quam hómines dilígere. Amor perpétuam præséntiam vult amáti, et ídeo Dóminus Jesus remánsit nobíscum in Sanctíssimo Sacraménto. Amantíssimo Salvatóri nimis breve visum est per solos trigínta tres annos cum homínibus in terra commorári, et propterea ad expléndum desidérium suum perpétuo nobíscum permanéndi, necésse ipsi visum est máximum ómnium operári miráculum et instituere Sanctíssimæ Eucharístiæ Sacraméntum. Jam peráctum erat opus redemptiónis, jam Deo reconciliáti erant hómines ; ad quid ergo in hoc Sacraménto remánsit Dóminus ? Remánsit, quia suum a nobis discéssum Cor ejus ferre non póterat, testátus suas delícias esse nobíscum. Quinímo amor ille ímpulit eum ut étiam cibus animárum nostrárum fíeret, ut nobis se uníret, ut de córdibus nostris deque suo quasi una res fíeret : « Qui mandúcat meam carnem in me manet et ego in eo ». O prodígium stupéndum, o excéssum caritátis Dei erga nos !

℣. Jesus cum dilexísset suos, qui erant in mundo, * In finem diléxit eos. ℣. Sciens quia ómnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exívit, et ad Deum vadit. In.

Lectio vj

Ecorde Jesu amantíssimo ómnia quidem Sacraménta prodiérunt, potíssimum tamen inde procéssit Sacraméntum amóris, quo Ipse nobis esset vitæ sócius, ánimæ cibus, sacrifícium infiníti valóris. Hæc adoránda Cordis adinvéntio summíque amóris demonstrátio jure mérito peculiári cultu recolénda est populísque prædicánda, his nostris præsértim refrigescéntis caritátis tempóribus. Id agnovérunt complúres per orbem sacrórum Antístites, qui pietátem erga Eucharísticum Cor Jesu ubíque propagándam curárunt. Hinc Leo Papa décimus tértius várias preces in ejúsdem Eucharístici Cordis Jesu honó-

Scanné avec CamScanner

rem Indulgéntiis ditávit et Archisodalitátem sub præfáto título in ecclésia sancti Jóachim in Urbe eréxit. Benedictus autem décimus quintus, Póntifex Máximus, devotiónem erga Cor Jesu, Sanctíssimum Eucharístiæ nobis pródigens Sacraméntum, probávit. Quo vero salutáris hæc píetas ulterióra accíperet increménta, et uberióres in fidélibus produceret fructus, idem Summus Póntifex Offícium et Missam própriam in honórem Eucharístici Cordis Jesu concéssit.

℟. Dóminus noster Jesus Christus diléxit nos et dedit consolatiónem ætérnam * Et spem bonam in grátia. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino : et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. Tóllite hóstias * et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnes terræ.

Cantáte Dómino, benedícite nómini ejus, * annuntiáte de die in diem salútem ejus.

Enarráte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus. —

Nam magnus est Dóminus et laudándus valde, * timéndus magis quam omnes dii.

Nam omnes dii géntium sunt figménta ; * Dóminus autem cælos fecit.

Majéstas et decor præcédunt eum ; * poténtia et splendor sunt in sede sancta ejus. —

Tribúite Dómino, famíliæ populórum, tribúite Dómino glóriam et poténtiam ; * tribúite Dómino glóriam nóminis ejus.

Offérte sacrifícium et introíte in átria ejus ; * adoráte Dóminum in ornátu sacro.

Contremísce coram eo, univérsa terra ; * dícite inter gentes : Dóminus regnat.

Stabilívit orbem, ut non moveátur : * regit pópulos cum æquitáte. —

Læténtur cæli, et exsúltet terra ; insonet mare et quæ illud implent ; * géstiat campus et ómnia quæ in eo sunt.

Tum gaudébunt omnes árbores silvæ coram Dó-

Scanné avec CamScanner

mino, quia venit, * quia venit régere terram.

Reget orbem terrárum cum justítia, * et pópulos cum fidelitáte sua.

Ant. Tóllite hóstias et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Ant. Introíbo * ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Psalmus 42

Jus redde mihi, Deus, et age causam meam advérsus gentem non sanctam ; * ab hómine dolóso et iníquo líbera me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me reppulísti ? quare trístis incédo, ab ínimico oppréssus ?

Emítte lucem tuam et fidelitátem tuam : ipsæ me ducant, * addúcant me in montem sanctum tuum et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum lætítiæ et exsultatiónis meæ,

Et laudábo te cum cíthara, * Deus, Deus meus !

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me ?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

Ant. Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Ant. Per Jesum offerámus * hóstiam laudis semper Deo.

Psalmus 149

Cantáte Dómino cánticum novum ; * laus ejus sonet in cœtu sanctórum.

Lætétur Israël de factóre suo, * fílii Sion exsúltent de rege suo.

Laudent nomen ejus choro, * tympano et cíthara psallant ei,

Quia Dóminus díligit pópulum suum, * et húmiles victória ornat.

Exsúltent sancti de glória, * læténtur in cubílibus suis. —

Præcónia Dei sint in gúttere eórum, * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ut fáciant vindíctam in géntibus, * castigatiónes in pópulis ;

Ut álligent reges eórum compédibus, * et nóbiles eórum mánicis férreis ;

Ut fáciant de eis judícium præstitútum : * hoc glóriæ est ómnibus sanctis ejus.

Scanné avec CamScanner

Ant. Per Jesum offerámus hóstiam laudis semper Deo.

℣. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, allelúja. ℟. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur, allelúja.

Lectio vij

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 22, 15-20

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Desidério desiderávi hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 46 in Joann.

Non solum per dilectiónem, sed étiam reípsa cum carne Christi commiscémur ; per cibum scílicet, quem dedit nobis in demonstratiónem amóris, quo erga nos fervet. Ideo quippe se nobis commíscuit et in unum redégit, ut unum simus quasi corpus conjúnctum cápiti ; ardéntis enim amóris hoc est. Quod subíndicat Job de servis suis dicens eos sic eum amásse ut carni ejus admiscéri peroptárent, dicéntes : Quis det nobis de cárnibus suis ut saturémur ? Hoc Christus reápse fecit, ad majórem dilectiónem nos próvocans et suum nobis demónstrans amórem. Neque enim ipsum concupiscéntibus se vidéndum modo præbuit, sed étiam tangéndum, comedéndum, déntibus teréndum, commiscéndum, omne implens desidérium.

℟. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * Et mirabília ejus fíliis hóminum. ℣. Et sacríficent sacrifícium laudis : et annúntient ópera ejus in exsultatióne. Et.

Lectio viij

Ab illa ergo mensa recedámus tamquam leónes ignem spirántes, diábolo terríbiles, cogitántes quale sit caput nostrum et quantam nobis dilectiónem exhibúerit. Paréntes quidem áliis sæpe líberos suos tradunt aléndos ; ego vero, inquit, cárnibus meis própriis vos alo, meípsum vobis appóno, omnes vos nóbiles esse volens, et bonam de futúris spem áfferens. Nam qui in hac vita meípsum vobis trádidi, multo magis in futúra hoc fáciam. Vólui frater vester fíeri, commúnem vobíscum assú-

Scanné avec CamScanner

mens carnem et sánguinem : vicíssim trado vobis carnem et sánguinem, quibus cóngener factus sum vobis.

℟. Ab ortu solis usque ad occásum * Magnum est nomen meum in géntibus. ℣. Et in omni loco sacrificátur et offértur nómini meo oblátio munda. Magnum. Glória Patri. Magnum.

Lectio ix

Sanguis Christi régium nobis ímprimit charactérem, incredíbilem parit pulchritúdinem, ánimæ nobilitátem consérvat, virtútem magnam infúndit. Digne recéptus dæmones procul pellit, ángelos vero ádvocat ; dæmones enim fúgiunt ubi vident sánguinem domínicum, accúrrunt vero ángeli. Hic sanguis salus animárum nostrárum est : eo ablúitur ánima, ornátur, incénditur ; mens rédditur igne splendídior et ad cælum elevátur. Cogitémus ítaque quibúsnam nos Deus dignátus sit donis, grátias agámus et glóriam referámus non solum per fidem sed étiam per ópera, ut futúra consequámur bona grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi, cui cum Patre glória, una cum Spíritu Sancto nunc et semper et in sæcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1 Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Psalmi de Dominica.

2 Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

3 Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

4 O quam bonus * et suávis est, Dómine, spíritus tuus, allelúja.

5 Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Ephes. 3, 8-9

Fratres : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

E Corde Jesu pródiit
Oblátio quam Gólgotha
Vidit semel, quam mílies
Nunc innovant altária.

O digna cælis Hóstia
Qua laus suprémo Númini
Defértur æqua, cóncipi
Ut nulla possit ámplior!

Dignas et Ipse grátias
Nostro repéndit nómine
Ob dona, quæ divínitus
Imménsa nobis áffluunt.

Ac, deprecátor, víndicem
Exármat iram júdicis,
Dum nostra delet crímina,
Suo rigáta Sánguine.

Exórat omnem dénique
Nobis bonórum cópiam;
Ac, dives ipse, dívite
A Patre quævis ímpetrat.

Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis prófluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Ad Bened. Ant. Sciens Jesus * quia venit hora ejus ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexísset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti: da nobis, quæsumus; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus: Qui vivis.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis; et ad eam in Responsorio brevi Versus Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam

Capit. Ephes. 3, 8-9

Fratres: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit.

℟. br. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, * Allelúja, allelúja. De bono. ℣. Implens cibo et lætítia corda nostra. Allelúja, allelúja. Glória Patri. De bono.

Scanné avec CamScanner

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, allelúja. ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos, allelúja.

Ad Sextam

Capit. Isai. 66, 12

Hæc dicit Dóminus : Ecce, ego declinábo super Jerúsalem quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

℟. br. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, * Allelúja, allelúja. Inebriabúntur. ℣. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Inebriabúntur.

℣. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, allelúja. ℟. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur, allelúja.

Ad Nonam

Capitulum

Sophon. 3, 14 et 15

Lauda, fília Sion : júbila, Israël : lætáre et exsúlta in omni corde, fília Jerúsalem : Rex Israël Dóminus in médio tui.

℟. br. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, * Allelúja, allelúja. Inebriábo. ℣. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Inebriábo.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

In II Vesperis

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus ; Psalmi ut in I Vesperis Festi Ssmi Corporis Christi.

Hymnus

Insidens nostris peramánter aris,
Christus imménsis ópibus redúndat ;
Hosque thesáuros avet in redémptas
Fúndere gentes.

O inexháustum pélagus bonórum
Némini clausum, refluúmque late !
Hinc tibi veras, homo, nec cadúcas
Cóllige gazas.

Huc veni, quisquis pietáte ferves
Quique fervórem cupis auctiórem ;
Flámmeum, Jesu, tibi Cor novéllos
Ingeret ignes.

Huc veni, frigens et iners amátor ;
Ara te, Christi latitántis aula,

Scanné avec CamScanner

Coget impénsis stúdiis
Amántem
Rursus amáre.
Huc veni tandem veniámque supplex
Posce, peccátor : lácrimas ciébit
Uberes Jesus, quibus atra tergas
Crímina vitæ.
Sint tibi juges, Trias alma, grates
Exsules quæ nos réficis supérno
Férculo, donec sátiet perénnis
Cœna beátos. Amen.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce, ego * vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi : dicit Dóminus. Allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quæsumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Completorium de Dominica.

IMPRIMATUR

Mechliniæ, die 21 Octobris 1947

† L. SUENENS, VIC. GEN.

Imprimé en Belgique — Printed in Belgium

MECHLINIÆ, H. DESSAIN

Scanné avec CamScanner